Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Caspar Mauritius

Prton Pseudos Sive Primum Falsum Socini Et Sociorum : Septem Exercitationibus

Rostochii: Kilius, 1651

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Ekspress-Informacija
Kvantovaja radiotechnika
1977,3
Nr. 25-36

R.U.-Theol 1651 Mauritius, Caspar 1-8
ZA 3141 (1977,3)
10 26

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0002
DFG

ΠΡΩΤΟΝ ΨΕΥΔΟΣ

SIVE

PRIMUM FALSUM

SOCINI

ET SOCIORUM,

Septem Exercitationibus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0003
DFG

ΠΡΩΤΟΝ ΨΕΥΔΟΣ

SIVE

PRIMUM FALSUM

SOCINI

ET SOCIORUM,

Septem Exercitationibus

publicis

Adumbratum primo, deinde

expressum

IN ACADEMIA ROSTO-

CHIENSI.

PRÆSIDE

CASPARO MAURITIO,

SS. THEOL. D. P. P. & Eccles.

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

ROSTOCHII

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn741206374/phys_0004
DFG

VIRO AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO,

DN. JOANNI PETREJO,

Inclytæ Reip. Rostochiensis Consuli inclito & meritissimo,

AMICO FAVENTISSIMO,
COMPATRI HONORATISSIMO,
S. P. D.

CASPARUS MAURITIUS D.

EA est, Vir Amplißime, Amicorum Optime, adversariorum orthodoxæ religionis, qui à Socino nomen traxerunt, insolentia & protervia, ut pestilentißima sua dogmata, digna, quæ æternis operiantur tenebris, haud dubitent in lucem proferre, & non tantum inter obscuri nominis homines spargere, verum etiam celebrium Rerumpublicarum tàm literariarum quàm civilium proceribus obtrudere & dedicare. Meministi, quid ante biennium, & quod excurrit, factum sit à tenebrione aliquo, qui collectas à se φλυαρίας suæ sectæ, quas adversum tremendum sanctißimæ Triados mysterium male sana ratio procudit, dudum protritas & profligatas, non horruit vestris, Virorum eruditißimorum pariter & pientißimorum, oculis subjicere. Dolendum profecto, & mirandum, esse in tanta Evangelii luce homines, qui veritatem clarißimis Scripturæ testimoniis subnixam oppugnare & ἑτεροδοξίαν suam rationis quodam fuco & fumo pingere ac defendere haud vereantur, haud erubescant. Sed & conatibus eorum mature obsistendum est, ne serpat gangræna, & in detestabilis erroris societatem pars sincera trahatur. Nec audiendi hic illi, qui existimant satius esse, silentio involvi

involvi & tenebris addici talia, quam protrahi in lucem & disputari. Quicquid enim fileas, fileri tamen hæc non possunt, quæ in notitiam omnium sic venerunt, ut ipsi quoq; adolescentes, qui è scholis inferioribus ad nos veniunt, non tantum controversa inter nos & Socinianos capita, sed rationes etiam nonnullas, quibus colorare causam pessimam adversarii solent, haud raro teneant. Quibus nisi succurratur, nisi, inquam, orthodoxiam Ecclesiæ Catholicæ immotis sacrarum literarum fundamentis superstrui & à corruptelis ineptissimis & absurdissimis vindicari audiant, futurum est, ut perpetuis dubitationum fluctibus miserè circumagantur, & Lupis illis vastatoribus ovilis dominici in prædam exponantur. Quare ut periculum tantum avertatur, mearum quoq; partium esse duxi, post alios, quorum scripta in Socinianos eruditissima extant, per quos profecisse me gratus lubensq; fateor, etsi ab ambitiosa & invidiosa nominum recensione abstineo, præsentes Exercitationes adversum Socinianos (hanc enim rationem consulendi studiis discentium arbitror accommodissimam, ut seorsim Socinianorum, seorsim Calvinianorum, seorsim Pontificiorum errores examinentur, ne turbentur discentium ingenia & obruantur) in gratiam Studiosorum Rostochiensium, adhibita, quantam permittunt alii labores concatenati, cura conscribere, & publicè examinandas ac ventilandas proponere. Quæ ut sperato fructu minimè careant, DEUM Opt. Max. toto pectore precor. Has ego Exercitationes Amplissimo Nomini Tuo, Dn. Compater observande, inscribere volui, ut essent meæ erga te observantiæ, Tuiq; in me amoris, quem luculentis indiciis testatum feciſti, perpetua testes. Accipe ergo eo animo, quo me soles, & me, quod constanter facio, amare perge. DEUM supplex veneror, ut Te diutissime salvum, valentem & florentem præstare dignetur, quo de Ecclesia simul & Republica, quod ampliter hactenus per DEI gratiam feciſti, diu præclarissime mereri possis. Dab. Rostochii XV. Octobr. Anno M. DC. LI.

Ordo Disputationum.

Disp. I. Generalis,
Resp. PETRO Jordt / Holsato.

Disp. II. De Mysterio Trinitatis,
Resp. DANIELE LIPSTORPIO, Lubecensi,

Disp. III. De Incarnatione Filii Dei & officio Prophetico,
Resp. GREGORIO MICHAELE, Rostochiensi.

Disp. IV. De Christi Sacerdotio & Regno,
Resp. CASPARO MARTINI, Livono.

Disp. V. De Justificatione & Conversione,
Resp. NICOLAO Eilbracht / Holsato.

Disp. VI. De Peccato Originis & Sacramentis,
Resp. BALTHASARE Jasvert / Lubecensi.

Disp. VII. De Reliquis erroribus Socianorum,
Resp. JOHANNE Klein / Stralsundensi.

§(o)§

ΠΡΩΤΟΝ ΠΣΕΥΔΟΣ
Vel
PRIMUM FALSUM
SOCINIANORUM.
Exercitatio Generalis

Quam

DEO OPT. MAX. MODERATORE,
PRÆSIDE
CASPARO MAURITIO, S.S.
Theol. D. & Prof. Publ.
atq; Eccleſiaſt.
Publico examini offert
PETRUS Jordt/ Flensburg: Holſ.
Habebitur in Auditorio Majori
ad d. III. Septemb.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. L.

MMMM, 26

DUCE CHRISTO!

Proœmium.

SUperiori anno per DEI gratiam Primum Falsum Calvini & Sociorum esse malè sanam rationem & libidinem novandi demonstravimus, subjuncto de Arminianis Corollario, in quo, cum Socinianismi passim illi à Calvinianis arguantur, obiter ostendimus, liquidem hæc criminatio vera sit (quam non esse prorsus fictam, fatebitur, quisquis Arminianorum scripta tum publica tum inprimis privata inspexit) Arminianos alibi principia Socinianismi sui non hausisse, quam in scholis præceptorum suorum Calvinianorum. Nimirum, cum abusus rationis & studium novitatis utramq; hic paginam faciant, utriq; famulatur & velut subordinatur ψεῦδος quoddam infinitarum hæreseon seminarium, quod est detorquere voces in scripturis occurrentes in significationes planè insuitatas & alienas. Huic culpæ præ aliis multis caput adstrinxit Zwinglius, quem secuti sunt Calvinus alijq;, voces phrasesq; præscientiæ, hominis, Dei, omnis potestatis in cœlo & in terra, omnium, mundi, vocationis ad fidem, defectionis à fide, corporis, edere &c. adeò corrumpentes, ut Metaphorarum, Metonymicarum & impropriarum prædicationum nec finis sit nec modus. Hac aperta porta quid proclivius fuit, quam errare Arminianos & in cassos incidere Socinianorum, quorum duces & ipsi è scholis Calvinianorum prodeuntes post Zwinglium & Calvinum hanc artem ita propriam sibi fecerunt, ut ipsis Calvinianis palmam reddiderint dubiam, imò oraripuerint multis modis. Si quis enim Socini & sociorum (adde Anabaptistas eorumq; universam propaginem)

scripta paulo diligentius examinet, ubiq; occurrent specimina luxuriantis in fidei misterio rationis, captationes singularium novarumq; opinionum, deniq; audacissimæ insolentissimæq; depravationes sanctarum scripturarum. Nec quicquam Socinianos magis ridiculos facit, quàm quod semper rationem crepantes, suis nihili exceptionibus adversus clarissima Scripturæ loca id agant, ut rationem omnem exuisse merito videri possint. Hoc ut in clara luce collocetur, operam deinceps daturi sumus, Deum Opt. Max. ex toto corde comprecati, ut ad perficienda destinata spiritus sui potentissimi viribus largiter nos instruere dignetur.

THESIS I.

OPtimus methodi artifex Aristoteles oportunè monet lib. 2. prior. cap. 20. quod & in Topicis inculcat, in solutionibus vitiosarum consequentiarum non protinus aggrediendam quamvis propositionem falsam, sed inprimis esse incidendum πρῶτον ψεῦδος, hoc est, illam propositionem in qua falsitatis radix, fundamentum & nervus hæret. Quia ergo abusum rationis & cupiditatem novitatis errorum, quos Socinianorum Theologia complectitur, fontem & saturiginem esse diximus, primum id quo pacto fiat, ostendendum, ac deinde ipsi radici securis impingenda atq; adigenda erit.

§. 2. Primum itaq; malè sana ratio peperit negationem summæ divinitatis Jesu Christi, & consequenter misterii Trinitatis. Ostorod. in Instit. cap. 4. §. 3. *Si ratio*, inquit, *expressè demonstrat Trinitatem personarum in Deo esse falsam, quomodo ergo ulli homini ratione prædito in mentem venire potest, illam nihilominus veram esse posse.* Crellius de uno Deo Patre duos conscripsit libros, in quorum primo ex scriptura disputat, secundo ex ratione, sed, quia scripturæ testimoniis diffidit, ideo priorem librum concludit argumento à ratione petito cum ait: *Si vel ex ipsorum adversariorum sententiis vel ex confessis apud omnes axiomatibus ac principiis argumentemur, quis id, nisi iniquissimè reprehendere poterit? præsertim si ostendamus dogma illud contradictionem, ut loquuntur, implicare, seq; ipsum evertere. Fatemur enim omnes saniores dogma nullum verum esse posse, quod contradictionem implicet, &c. Hoc enim principio sublato omnis tollitur scientia; & utut tu millies demonstrares Deum esse in personis trinum, liceret tamen alteri æquè verè dicere, eum trinum non esse*

se. At qui ostendere haud difficulter possumus, dogma illud vulgare, de Trinitate personarum in una numero essentia contradictionem implicare. Hactenus Crellius qui ob causam modo dictam haud dubiè lib. de Deo & ejus Attribut. cap. 17. Col. 113. seq. ex ratione primum impugnat personarum in una essentia pluralitatem idq; ex inductione exemplorum, quibus patet, rem quamq; intelligentem, si una sit numero, unam tantum esse personam, non plures: posteà demum ad Scripturam progreditur, Accedunt, inquiens, aperta sacrarum Scripturarū testimonia &c. Adde Catech Racov. pag. 36. 37. 55. 56. &c.

§. 3. Sentiunt ergo, solum Patrem esse summum DEUM, Filium nec summum DEUM esse, nec à Patre ab æterno genitum, imò ante Mariam matrem non extitisse, Spiritum item Sanctum non esse personam à Patre & Filio ab æterno procedentem, nec uspiam appellari DEUM; summa, evertunt, quantū quidem in ipsis est Trinitatis, quam credimus, misterium. Quo oppugnato non possunt non misterium incarnationis oppugnare. Cum enim Jesum Christum verum hominem esse manifestum sit, nec minus clarum, eundem summum & æternum DEUM esse, relinquitur summum Deum hominem factum esse. Audiamus Crellium lib. de uno DEO Patre II. sect. 2. cap. 3. pag 563 *Incarnationem*, ait, *coguntur omnes illi agnoscere, qui Christum supremum esse DEUM statuunt. Cum enim eum natura hominem esse & certo tempore ex Virgine natum, ex sacrū literis sit manifestissimum, necesse fuit, ut statuerent eum seu ejus naturam divinam ita assumsisse humanam, ut unitate personæ manente DEUS simul esset & homo. Nam si DEUS & homo diversa essent personæ, nec Filius DEI homo, nec homo Filius DEI fuisset.* Hæc ille. Quia autem negant Filium DEI summum Deum esse, consequenter negare necessum habent, eum hominem factum esse. Quantum autem & in hoc misterio rationi permittant ex dictis § præced liquidum est. Volkelius lib. V. de Ver. Rel cap. XI. Col 456. sic orditur: *Jam ut eum convincamus errorem, quo duæ in uno Christi suppositio naturæ inductæ sunt, ita ut unus Christus & DEUS natura sit & homo; constanter dicimus, hanc opinionem nec cum sanæ mentū ratione convenire nec ullo sanctarum literarum testimonio comprobari posse. Rationi ideo eam repugnare asserimus quod mens nostra dictat, fieri non posse ut duæ formæ substantiales, eæq; perfectæ in unum idemq; suppositum cadant: cum sic non unum sed duo diversa suppositæ existerent* &c.

§. 4. Sic negata Incarnatione negantur quoq; Christi officia, Propheticum, Sacerdotale, Regium eo quidem pacto, quo nos illa ex clarissima Scripturarum veritate deducimus. Qui enim negat Christum in Veteri Testamento exstitisse, negare tenetur, eum tunc propheticum exercuisse officium & per Prophetas locutum esse, atq; de beneficiis suis pariter & hominum officiis, (quorum utraq; evertunt & corrumpunt, illa quidem, negantes Veteres habuisse promissionem vitæ æternæ; hæc vero, contendentes perfectiorem Mosaicâ obedientiam perfectioribus mandatis debitam pro consequendo perfectiori præmio in N.T. à Christo requiri Volk. Col. 58. Ostor. Instit cap. 20. pag. 143. 144) homines docuisse. Non entis enim nullæ sunt affectiones. Nec minus Christi negatur satisfactio, quæ primaria est sacerdotij Christi functio. *Si infinitorum loco*, verba sunt Crellij contra Grotium pag. 471. *unus substituatur, qui id ferat, quod quilibet ex illis ferre debebat, an pro omnibus hac ratione satisfaciet? An si quis pro centum hominibus qui singuli centenos debebant aureos, centum tantummodo det aureos pro omnibus satisfaciet? pro una quidem satisfacere poterit, sed non pro centum. Quanto autem minus satisfaciet, si & infiniti sint, & infinitum singulorum debitum, ipse vero id tantum solvat quod unus debebat? Quod si ne tum quidem Christus, verè pro omnibus hominibus satisfeciisset, si tantum pœnarum dediisset, quantum unusquisq; nostrum debebat, hoc est, mortem æternam subiisset, quam subire non poterat; quanto minus satisfeciisse censeri debuit, cum id tantum luit quod ad debitum nostrum nullam proportionem habet?* Hæc Crellius: qui si credere potuisset & voluisset, Christum nostrum esse infinitum Deum, ineptis illis ratiunculis abstinere maluisset. Neq; enim frustra Scriptura Deum summum τὸν Θεὸν & subjectivè & cum articulo positum redemisse Ecclesiam sanguine suo inculcat. De qua re suo loco, DEO volente, agetur. Restat officium Christi Regium, quod ipsum negantes Christum supremum esse Deum eundemq; incarnatum non possunt non adoriri Sociniani contendentes *tum demum Regem Christum evasisse, cum à mortuis resuscitatus, in cœlesti vitæ possessione collocatus est: regnum item Christi duraturum ad tempus, nec fore æternum*, de quo videatur Volkel. pag. 132. 144.

§. 5. Neq; hic sistitur, sed ad plures errores itur. Satisfactionem Christi pro nobis summis viribus oppugnant Sociniani, sicut dictum est. Hanc qui negat, consequens necessario est, ut neget quoq; satisfactionem

nem Christi per fidem hominibus sive in Novo, sive in Veteri Testamento imputari, hoc est, Christi obedientiam passivam nostram fieri haud secus, ac si ipsi pro peccatis mortui essemus, ejusdemq; obedientiam activam nostram fieri, ut non tantum pœnam peccatis nostris debitam effugiamus, verum etiam jus vitæ æternæ adeundæ nanciscamur, haud aliter, ac si ipsi obedientiam legi debitam præstitissemus. Quorum utrumq; negant Photiniani, statuentes, Christum nec vice nostri passum, nec vice nostri legem impleviſſe. Smalc. disp. poster. de bon. operib. *Quid mirum*, inquit, *nos damnare fidem in meritum Christi, cum nullum meritum agnoscamus, & pro nugatoria fabula id totum habeamus.* Unde fit, ut justificationem hominis peccatoris coram DEO constituant in obedientia propria: hanc enim fidei formam atq; animam esse dicunt, atq; à viribus nostraq; probitate sive naturali sive acquisita arcessunt. Sic enim Volkelius lib. 4. cap. 1. Col. 169. docet, *postquam Evangelica doctrina homini innotuit, omnem vim vel officii præstandi, vel divini imperij contumaciter respuendi in animi probitate vel improbitate constitutam esse.* Et Col. 527. *aliquos dicit esse aptos ad vitam æternam ac dispositos, quia probi fuerint animi, ac proinde ad fidem in Christum qua vita æterna obtinetur, apti.* Et Col. 553. *animi probitatem, quâ Lidia præ cæteris imbuta erat, in causa fuisse, cur doctrinam Christi amplecteretur.* Et paulo inferius docet *Deum homines convertere, idem esse, ac Deum beneficiorum & promissorum magnitudine homines commovere, ut se ad ipsum convertant legum ipsius observantes reddantur, & animum alium induant.* Hinc patet, arbitrii libertatem & vires in conversione τὸ πρωτεῖον obtinere, nec sola DEI gratia nos converti. Tandem, quia obedientia propria dicunt hominem justificari, necessum est, eam perfectam fore, si in judicio DEI admitti & consistere debet: proximum est ergo, ut Sancti in hac vita legem DEI præstare perfectè posse à Socinianis statuantur, qui & hoc addunt, renatos ne quidem posse peccare. Vide de his omnibus Volkelium Col. 563, seqq. 167. 181. &c. Socinum de justif. pag. 77. ubi ait: *Justificari à Deo nihil aliud esse, quam à Deo justum pronuntiari, id quod certè fieri necesse est, cum legi, quam dedit, præcepta servantur.* Smalcium disp. 9. cont. Frantz. de Hypocritis.

§. 6. Errorem de liberi arbitrii viribus novi sequuntur errores. Quorum primus est negatio peccati originalis: de quo sic disputat Volkel. lib. 5. cap. 18. Col. 548. *Planè*, inquit, *à recto rationis judicio alienum*

num est, unum peccandi actum tantam vim habere, ut totam hominis naturam & sic etiam hominis voluntatem destruere possit: cum ne unius quidem Adami naturam corrumpere potuerit. Nam alioqui si singuli peccandi actus tantam vim haberent, cum ex istorum hominum sententia, Adamum post istud tempus per tot annorum centurias, infinities peccasse necesse sit ne vestigium quidem ullum virium humanarum mansisset in eo reliquum: quanto autem minus in ipsius posteris, qui longa serie eum secuti, numerum istum peccatorum infinitis aliis auxerunt. &c Porrò peccati originalis negatio post se trahit negationem justitiæ originalis, & vult mortem naturalem non esse pœnam peccati, hominemq; primum naturaliter fuisse mortalem. Et, quod gravius est, peccati originalis negatio baptismi necessitatem planè evertit, quem dicunt esse ritum externum non à Christo præscriptum, sed libere assumtum, temporarium non perpetuum, non esse organon regenerationis, nec facere salvos, infantes igitur Christianorum non esse baptizandos. Deniq;, quod de Sacramento Baptismi negant Sociniani, idem de Sacramento Cœnæ negant Smalcii Disp. 12. de Cæn. th. 77. *Certè hoc tantum non est cum ratione insanire, si dicatur, oralem manducationem aliquid in mente hominis effiecre posse, vel etiam spiritualem manducationem esse alligatam ad oralem* &c. Sed & hic Calvinianorum errant errorem de præsentia corporis dominici in cœna, quam impossibilem esse judicant. *Impossibile est*, inquit Osiorod. in Instit. cap. 38. p. 332. *corpus & sanguinem propriè manducare & bibere, neq; tamen quicquam de corpore & sanguine sapere sed tantum panem & vinum sensibus experiri.*

§. 7. Primum errorum fontem unà cum exitiabilibus rivulis vidimus: sequitur alter, cupiditas novandi. Hæc plurima monstra peperit, quæ ut in certas classes digeramus, methodi leges efflagitant. Ubi notandum, haud malè facere eos, qui secundum diversam considerationem DEI, Theologiæ objecti eminentissimi, rem expediunt. Nimirum potest DEUS considerari quatuor modis 1. prout est in essentia & attributis 2. prout est creator 3. prout est Servator 4. prout est glorificator. Secunda classis commodè in duas sectiones dividi posset: cum enim DEUS meritorie Servator, hoc est, Christus sit Servator omnium hominum, maximè fidelium atq; Ecclesiæ suæ 1. Tim. 4. 10. Eph. 5. 23. &c. prima sectio sibi considerandum sumere Servatorem omnium & totius mundi Tit. 2. 13. Joh. 4. 42. &c. altera eundem sumere posset, prout

prout est Servator fidelium & Ecclesiæ per fidem, ministerium verbi & Sacramenta. Sed hæc pluribus persequi nihil attinet. Restat ut secundum classes quatuor dictas novitates Socinianorum ordinemus: quanquam minimè diffitendum sit, neq; supra recensitos errores à profana novitate alienos esse, & tot nova dogmata v. g. de nova angelorum creatione aliisq; vel parturire eos, vel jam peperisse, ut omnia recensere infinitum pariter & inutile foret. Eminentiores ergo memoriæ causa secundum dictas classes collocabimus. Ad primam classem pertinent, quæ errant de Dei æternitate, immensitate, omnipotentia, omniscientia, simplicitate, justitia & misericordia. Inauditum est, quod negant solum Deum esse æternum & *materiam informem DEO coæternam* una cum tempore, quod creatum negant, haud obscurè statuunt cum Volkelio lib. 2. cap. 4. Crell. de Deo & At. 46. Adde quod Deum essentia immensum negant, ut patet ex Crellij lib. de Deo & Att. col. 277. seq. Inauditum est, *æternitatem habere partes, quarum una succedat alteri; alia prior sit, alia posterior*, quod statuit Crell. de Deo & Attr. Col. 127. seqq. Inauditum est, Deum non esse ita omnipotentem, ut *etiam ex nihilo negativo aliquid creare & corpus unum* in *pluribus simul locis præsens constituere possit* Volk. Col. 6. Crell. Col. 157. 160. Inauditum est, *Deum non esse ita omniscium* ut *futura quoq; contingentia certo & infallibiliter sciat* Crell. Col. 200. seqq. qui immanis error necessario secum trahit *negationem prædestinationis & electionis*, quæ res auditu nova & horrenda. Inauditum est Deum non esse simplicem, sed *compositum ex subjecto & accidentibus realiter à Deo differentibus* v. g. decretis, attributis Volk. Col. 493. Crell. Col. 346. 339. 349. &c. Inauditum est, *justitiam Deo non esse essentialem, misericordiam item ipsius non esse DEO simplici atq; immutabili necessitate alligatam* Crell. Col. 287. &c. & Col. 281. Ad secundam classem referimus errores ipsorum de Creatione. Disputat Socin. in prælect. cap. 2 *non singulos tantum homines, sed integros populos hodiè inveniri, qui nullum penitus sensum divinitatis alicujus habent v. g. in novo orbe* &c. Ostorod. *per creaturarum intuitum DEI notitiam acquiri posse negat* in Instit. cap. 1. *Quod*, inquit, *homines de Deo & Deitate aliquid, illud non habent à natura nec ex consideratione creationis, sed ex auditu & aliorum relatione* von hören sagen/ *siquidem Deus ab initio se hominibus manifestavit.* Sed hæc nova & absurda, quæ ipse Crellius lib. de Deo & Attrib. in ipso limine tractationis satis accuratè profligavit. His

longè

longè ineptius est, quod habet Socin. lib. cit. pag. 7. *per gentilem DEI cognitionem etiam hominem Ethnicum magis DEO gratum esse.* Ad tertiam classem referimus monstrosas Socinianorum de Ecclesia DEI opiniones. *Error est*, inquit Smalc. disp. 8 cont. Franz. de Eccles *dum Ecclesiam invisibilem partitur Franzius in triumphantem & militantem. Nulla enim revera nunc est triumphans, sed olim futura est, cum Christus Jesus venerit redditum unicuiq; secundum opera ipsius.* Idem sect. 9. docet cum Ostorodo, *non necesse esse statuere semper aliquam præsertim visibilem fuisse Ecclesiam, interim eam esse potuisse non negat.* Et sect. 6. *negat veram doctrinam esse notam Ecclesiæ: Sacramentorum vero usum ad notas Ecclesiæ referre, nimis rude esse docet.* Huc pertinent errores de ministerio Ecclesiastico: *non requiri ad ministerium obeundum certam quandam vocationem & posse aliquem sine vocatione Sacramenta licitè administrare* Smalc. disp. de Minist sect. 7. *nec esse ritum ordinationis futuro ministro necessarium* Theoph. Nicolaid. in def. miss. minist. cap. 2. Adde alia ejusdem farinæ: *festa sanctorum, pericopas Evangelicas* &c. *campanas non recte retineri in Ecclesiis Orthodoxis* &c. Quæ utut leviuscula sunt, novitate tamen sua turbant. Deniq; ad quartam classem referimus novitates ipsorum & errores in Novissimis. Smalc. disp. de extre. Judic. sect. 3. *An spiritus ille qui ad Deum redit & à corpore separatus est sensu aliquo præditus sit & an voluptate aliqua fruatur valdè dubitare Socinianos* dicit, *imò credit aliter rem se habere.* Ibid. excipit contra loca quæ à nostratibus solent *pro immortalitate animarum* proferri, ut satis liqueat, nec hanc apud Socinianos extra dubitationis aleam positam esse. Idem Smal. disp. cit. *Impossibile* ait esse *corpora talia olim extitura, quæ carnem & sanguinem habeant.* &c. *alia ergo nobis danda esse.* Idem disp. de baptism. sect. 5. contra *cruciatus dæmonum & impiorum in fine mundi* disputat, quos putat *delendos & annihilandos esse.*

§. 8. Tantum de erroribus Socinianorum exstantioribus, quos ipsos aliquot exercitationibus, DEO volente & dirigente, nobis sumemus oppugnandos. Interim, quia disputaturos necesse est in certis Disputationis futuræ principiis convenire, primò de principio conclusionum Theologicarum aliquid constituemus, ut appareat, quæ sit hac in parte Socinianorum sententia, cuiam aliquando contraveniant, viderint ipsi. Prima thesis hæc esto: *Sola sacra Scriptura est norma credendorum, & principium demonstrativum quæstionum meræ Theologicarum*, hoc est,

est, earum, quæ lumine naturæ non innotescunt; sed tantum lumine revelationis. Hæc thesis excludit rationem humanam, ejusq; captum. Neq; tamen id volumus, ratione non licere in quæstionibus Theologicis uti, ut instrumento, quo apprehendimus, argumentationes efficimus, sed negamus, eo uti licere ut argumento, hoc est, licere medium demonstrationis ad oppugnanda mysteria ex ratione petere. Male ergo Crell. de Uno DEO Patre lib. prim. sub fin. & lib. de Deo & Attrib. div. col. 213. nos taxat, quod consequentiis utentes, tamen ratione utendum negamus. Jam enim ostensum, quomodo ratione utendum, quomodo non, dicamus. Sed de partibus officioq; rationis non eodem modo loquuntur Sociniani. Sunt, qui rationi tantum tribuunt, ut nihil credi posse contendant, quod rationi repugnet. Socin. de Author. Script. cap. 3. pag. 22. *Nullo modo*, inquit, *verum esse potest, cui ratio communis unicuiq; sensus repugnet.* Smal. lib. de errorib. Arrian. 1. cap. II. pag 95. *Theologia*, inquit, *nihil habet rationi contrarium.* Et lib. de vero & nat. DEI filio cap. 6. pag. 46. *Certum est, quicquid rationi contrarium est, nec in sacris literis scriptum extare, nec ex istis colligi posse.* Adde Ostorod. cap. 6 Instit. pag. 42. 43. Distinguere solent inter id, quod est contra naturam & rationem, & id quod est supra naturam & rationem. Smalc. in præf. contr. Franz. *Supra rationem*, inquit, *multa habet religio & sacra Scriptura & hoc ipso maximè seipsam commendat: at contra rationem nihil, imò si rationi religio adversaretur, hoc ipso falsitatem suam proderet, & religio non esset: Summa enim & ipsa ratio est religio.* Crell. sub fin. lib. 1. de U.D.P. *Superant quidem rationem mysteria, sed non evertunt; non extinguunt illa hujus lumen, sed perficiunt. Imò ratio mysteria, quæ per se invenire, non poterat sibi revelata & percipit sola & amplectitur & defendit. Ratione utitur Paulus, dum resurrectionem probat; quod mysterium vel maximè aliàs rationem superat.* Sunt, qui nec hoc admittunt, contendentes *nihil credi posse quod à ratione capi & intelligi nequeat*, ut loquitur Schligting. cont. Meisn. pag. 124. 125. cujus hæc loc. cit. sunt verba: *Ea quæ ad credendum verè sunt proposita, quæq; in Scripturis extant consignata talia negamus esse mysteria, quæ scilicet captum rationis humanæ superent, & communem naturæ cursum & ordinariam rerum indolem transcendant.* Non ergo mirum, si rationem à norma credendorum non excludant, ut patet ex verbis Volkelij lib. 6. col. 651. *Verbum DEI non potest peti aliundè nisi ex sacris literis ac porro nulla alia in dijudicandis controversiis adhibenda est*

norma, non exclusa interim sana ratione &c. Quam esse audiendam contrà crebra & aperta Scripturæ dicta ex Smalcio patet Serm. 8. cap. 1. in Johann. *Credimus, etiamsi non semel atq; iterum, sed satis crebro atq; apertissimè scriptum existaret, DEUM esse, quia hæc res sit absurda & sanæ rationi planè contraria & in Deum blasphema, modum aliquem dicendi comminisci, quo ista de DEO dici possent, cum ista simpliciter ità ut verba sonant, intelligere & ita sanctissimam Jesu Christi religionem pro turpissima omnibus ridendam proponere.* Socin. in defens. animadv. in animadv. I. cap. III. p. 50. *Capere mente, quippiam esse non posse seu aliquid negare, quia id esse non posse deprehendas, tantam vim habet, ut divina ipsa testimonia quantumvis prima facie aperta aliter interpretari permittat & cogat, quàm ipsa verba sonant.*

§. 9. Enimvero hæc adversariorum verba, nisi ab aliis Socinianis corrigerentur, frustra quæcunq; disputationes instituerentur. Si enim aperta Scriptura non est audienda, frustra ex Scriptura disputatur, *quam tamen solam esse fidei normam, & divinâ tantum authoritate standum esse quoad credenda* totidem verbis dicit Smalc. cont. Schefer. pag. 3. Hinc est, quod nobiscum contra Pontificios urgent Scripturæ perfectionem, ut patet ex Volkel lib. 5. cap. 7. Ostorodi in Instit. pag. 196. verba notatu digna sunt: *De hoc supplicio* (agit de supplicio capitali hæreticorum) *in libris N. T. nihil legitur, neq; sufficiunt rationes, quia nimis foret periculosum rem tanti momenti hominis vitam imo æternam salutem concernentem humanæ rationi & judicio committere* Subsumimus: omnia credenda concernunt hominis æternam salutem E. nimis periculosum foret ea humanæ rationi committere. Crellius apertis & claris Scripturæ testimoniis negotium dijudicandarum fidei controversiarum committit, cum sub fin. lib. 1. de U. D p. ait: *Non repudiamus consecutiones legitimas, quibus & ipsi libenter utimur: sed in hujusmodi dogmate, quale id est, de quo disputamus, nisi perspicua simul & aperta ejus explicatio proferri possit, consequentias legitimas nullas esse jure statuimus.* Et mox: *neq; vero nos requirimus, ut ipsum Trinitatis nomen ostendant: sed rem ac sententiam, quam eo nomine vulgo comprehendunt, in sacris literis perspicuè ac clarè expressam.* Et paulo post: *Cedendum esset iis hominibus, si perspicuis sacrarum literarum testimoniis dogma istud probarent.* Huc pertinent verba Schlichting. contr. Meisn. pag. 67. *Cum dicitur*, inquit, *sola sacra Scriptura est norma, vel opponitur aliorum scriptis & authoritati, vel opponitur*

nitur rationi. Si illud, concedo hanc assertionem. Si hoc, distinguo. Vel enim agitur de rebus clarissimis verbis in Scriptura consignatis & expressis, adeo ut de eorum sensu nemo sanæ mentis dubitare possit: vel agitur de rebus obscuris, de quibus merito dubitari queat, an in Scriptura significatæ vel non significatæ legantur: si de illis agitur, concedimus hanc assertionem idq; vel in primis ideo, quod certissimum sit, scripturam nihil continere, quod manifestæ rationi repugnet, seu veram contradictionem involvat, si vero de rebus agatur obscuris, quivis videt, sine ratione rem non posse confici, quæ tamen non in id adhibenda est, quasi Scripturæ aliquid affirmanti vel neganti aliquid opponi possit, sed tantum ad declarandum, an quippiam scriptura contineat. si continere constet, quicquid tandem ratio contradicat, falli eam necesse est. Et pag. 78. Non ratio simpliciter repudianda est, præsertim si aperta sit & evidens, quæ nunquam veritati contraria esse potest, sed ratio pravis affectibus, moribus q; corrupta, cujus fatemur hanc esse indolem, ut cœlesti veritati semper obstrepat. Hæc Schlichtingius. Constat ergo ex dictis, Socinianos clara & aperta Scripturæ testimonia eo loco habere, ut illis cedere oportere rationem obstrepentem concedant. Quod diligenter notandum adversum Syllogismos Socinianorum: Omnis natura intelligens est persona. Christi natura humana est intelligens E. est persona. Item: Ubi tres personæ, ibi tres essentiæ. In divinis tres sunt personæ, E. ibi tres sunt essentiæ. Si dicas, Majores horum Syllogismorum in DEO & Christo non procedere & ἐνεργείᾳ loco adducas DEUM & Christum, respondebunt sine dubio, hoc esse κεχινόμενον nec posse pro instantia adduci. Verum scire debebant ex lib. 8. Top. cap 2. non esse absurdum aliquid, de quo controvertitur, instantiæ loco adhiberi, si scilicet præter illud non aliud detur, quod ab universali propositione excipi possit. Sic, si quis has majores urgeat: Omne ferrum in aquam injectum fundum petit & in eo manet: Posito Sole, ponitur ejusdem motus &c. rectè excipiuntur ex libris Regum & Josuæ nota exempla. Dices: atqui de his Scriptura clarè testatur. Respondeo rectè: redigatur ergo res ad scripturam clarè loquentem, eiq; ratio humana desinat obstrepere atq; obmurmurare. Non est nobis data Scriptura, ut crucem nobis DEUS figeret: ingens DEI omnipotentis & veracis beneficium est, quo mentium nostrarum tenebræ dispelluntur. Tuto ergo fidere possumus DEO in verbo suo clarè loquenti: is enim si nos decipit, benè decipimur.

§. 10. Hactenus ergo videri posset aliquis esse inter nos & Photinianos consensus. Interim, quia protestatio eorum facto est contraria, thesin nostram breviter firmabimus. Primò quidem ita: si credenda superant rationem, hæc illorum principium demonstrativum esse nequit. At verum prius, fatentibus adversariis. E. & posterius. Majoris connexio patet: quia principium demonstrationis oportet esse proprium, domesticum, vernaculum, re demonstranda non inferioris generis, sed ejusdem. Porrò, cui soli competunt normæ proprietates, illud solum est norma. Atqui normæ proprietates soli competunt Scripturæ. E. Major extra controversiam est. Minor inde probatur; normæ proprietates inter alia sunt infallibilitas & invariabilitas, quarum neutra in rationem quadrat, ut manifestum est. Tertio, si ratio ne quidem rerum naturalium est norma, multò minus rerum supernaturalium esse norma potest: Connexio est manifesta: si enim ratio naturæ, cui tamen homogenea est, norma esse nequit, multo minus rerum majorum sublimiorum hetereogenearum esse norma potest. At naturæ normam non esse rationem, liquidum est: non enim res normantur sive mensurantur ratione, sed contra ratio rebus mensuratur. Deniq; quam non sit fidendum rationi in credendis, docent exempla Judæorum, de quibus Joh. 6. & Nicodemi Joh 3. Thomæ Joh. 20. Abrahami, qui contra spem sub spe credidisse dicitur Rom 4. 16. Adde exemplum Pauli Gal. 1. 15. &c.

§. 11. Tantum de thesi prima. Altera hæc est: Etiam Scriptura Veteris Testamenti est norma credendorum. Socin. de Auctorit. Script. pag. 36. *utilem quidem esse* dicit, *ob plures causas lectionem V. T. iis, qui Novum recipiunt, non tamen necessariam.* Dixerat pag. 35. *fieri posse, ut Vetus Testamentum sit depravatum.* Catech. Racov. pag. 7. sic scribit: *Illis tantum* (scil. Novi Testamenti) *nec ullis aliis libris Religionis Christianæ veritas est comprehensa.* Smalc. in præf. refut. Franz. *Quis ex Veteri Testamento homini sensato dogma Trinitatis, quis Filij præternitatem quis satisfactionem & meritum Christi & similia ostendet?* Respondemus, omnia illa misteria in Veteri quoq; Testamento prodita esse suo loco demonstrabitur. Nunc theseos nostræ probationem subjungamus. Primum, si Christus & Apostoli prædicationem Evangelij ad Canonem Veteris Testamenti regulârunt, atq; inde hæreticos refutârunt, sequitur, Vetus quoq; Testamentum esse normam credendorum. Quod enim Christus & Apostoli habuerunt pro norma fidei, id & nos pro hujus-

mõs

jusmodi norma agnoscere oportet. De Christo res clara est vel ex unico Johannis loco cap. 5. 46. 47. Si crederetis Mosi, crederetis mihi: nam ille de me scripsit. Quod si scriptis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis? Idem de Apostolis patet ex Act. cap. 24. 14. & cap. 26. 22. ubi Paulus protestatur, nihil se dixisse extra ea, quæ Prophetæ & Moses futura prædixerunt, qui tamen palam testatur cap. 20. 27. annuntiasse se auditoribus suis omne consilium DEI. Deinde, si scriptura V. T. non est norma, quæro, quo pacto Photiniani erroris convincere velint Judæos, qui Novũ Testamentum non recipiunt? Deniq; si sacra Scriptura Veteris Testamenti θεόπνευστος omnia complectitur ad fidem & charitatem necessaria, sequitur, eam quoq; esse normam credendorum. At verum prius. E. & posterius. Majoris connexio claret. Nam esse sacram scripturam θεόπνευστον & simul omnia complecti ad fidem & charitatem necessaria, necessario important normam credendorum. Minor liquet ex 2. Tim. 3. 15. Sed hac de re infra uberius dicendum, cum Veteres quoq; promissa habuisse spiritualia, remissionem peccatorum & vitam æternam ostenderint.

§. 12. Tertia thesis hac est: Quæ per validam consequentiam è verbo DEI deducuntur, etiam sunt verbum DEI, etsi non verbotim atq; expresse in sacra scriptura dicantur. Huic thesi contradicunt nonnulla Photinianorum effata. Ostorod. in Institut. cap. 4 pag. 48. rejectis consequentiis omnia expresse verbo & clara litera sacræ scripturæ fundata dicit esse oportere. Et hoc ipsum praxi perpetua nonnulli confirmant propterea scilicet negantes Trinitatem, Incarnationem & Satisfactionem, quia non possunt clarâ Scripturæ litera demonstrari. Primum Ostorodi Argumentum contra Tradelium pag. 201. *Urget vocabulum Satisfactionis in Sacra Scriptura nullibi legi &c. & suspicione non carere, si fidei articulus, & quidem is qui prora & puppis religionis Christianæ sit, verbis & locutionibus in Sacra Scriptura nullibi usurpatis explicetur: Articulos fundamentales ad literam istic scriptos exstare.* Unde & alicubi Socinus, *nomina*, inquit, *quibus Adversarij necessum habent uti ad sua dogmata explicanda, nusquam apud Sacros Scriptores legi, Indicium quoddam esse potest falsitatis ipsorum dogmatum: fatetur tamen se non hoc ut solido argumento ad Adversarios depellendos uti, sed ut judicium saltem quoddam falsæ sententiæ facere.* Inde est, quod alij Sociniani aperte Thesi nostræ subscribant. Smalcius in responsione ad nova monstra Smiglecij

pag 126.

pag. 126. *Etiam* ea, inquit, *vera in scripturâ & pro scripturâ habenda, quæ ex illis necessariò colliguntur, nemo nescit.* Volkel. lib. 5. c. 7. sub finem, postquam dixerat, reliquum est sacris voluminibus ob ipsorum perfectionem nihil esse adjiciendum, addit, *hoc tamen non eo consilio à nobis dictum existimari velim, quasi omnes dictiones, omnes sententias, omnes & collectiones iisdem literis ac Syllabis in Sacrâ Scripturâ non expressas ob hoc ipsum repudiemus: Nam vel dictio, aut phrasis aliqua subaudiri, vel sententia aliqua, si non verbis ipsis tamen in sacris literis contineri potest, vel denique ex iisdem colligi: Id autem qualecunque est perinde habendum existimamus, ac si disertissimè scriptum exstaret. Neque in sola verba sed præcipue in verborum sententiam animum intendere debemus.* Ipse Ostorodus cap. 10. pag. 65. sic in institutionibus scribit; *dicimus nequaquam sequi, etsi verba illa, quod Christum fecerit Deum, seu quod Christus factus sit DEUS in scriptura juxta literam non legantur, quod propterea non sit factus Deus.* Sic Smalcius contra Smiglecium de verbo Incarnato pag. 42. Christum bis ascendisse in cœlos probat consequentia. Habemus ergò hic quoq; Adversarios consentientes. Sufficere ergò potest pro roborandâ nostra Thesi hoc unum argumentum: quicquid Christus & Apostoli pro verbo DEI habuerunt, illud est verbum Dei, Atqui quod legitima consequentia deducitur ex verbo Dei Christus & Apostoli habuerunt pro verbo Dei, Ergò est verbum Dei. Minor probatur ex Matthæi 22. v. 26. Actorum 2. v. 25. seqq. cap. 10. v. 43. c. 18. v. 28. &c.

§. 13. Quarta & ultima Thesis hæc est: Sacra Scriptura à nemine salutariter intelligi potest sine gratiosa illuminatione Spiritus Sancti. Huic Thesi contradicit Ostorodus in institutionibus c. 1. pag. 3 additq; pag 6 *Scripturam Sacram posse sine speciali operatione Spiritus Sancti fidem & obedientiam operari.* Alij tamen Sociniani haud obscurè Thesi nostræ assentiuntur. Catech. Racov. quærit pag. 17. *Unde tot dissidia in eruendo Scripturæ sensu emergant? Resp. hinc quia homines Scripturam vel negligenter legant, & non afferant sincerum & ab omnibus impedimentis atque cupiditatibus solutum animum, aut auxilium illud divinum donum nempe Spiritus Sancti, quod DEUS promisit, dies noctesq; eum invocantibus, non, quo par est studio implorent,* Volkel. quoq; lib. 5. c. 6. col. 388. requirit *preces Deo adhibitas* &c. Ostorodus denique instit. cap. 40. §. 4. *Prophetas*, ait, *imprimis verò apocalypsin non posse absq; Spiritu Prophetico intelligi.* Nostra sententia est, hominem quidem irregenitum, si diligentiam

tiam adhibeat, & sit instructus linguarum & artium cognitione, multa, quæ in sacris literis narrantur & docentur, intelligere posse, non tamen sicut ad salutem intelligi oportet: neminem enim posse certissimæ mentis assensu debitâque reverentiâ & promptitudine suscipere Dei verbum, nisi eum Spiritus Sanctus illuminet illuminatione speciali & ordinariâ, quæ contingit per verbum, cujus explicatio petitur ex verbis usitato more acceptis, ut mox dicetur. Nunc id quod cœpimus, expediamus, ut constet Spiritus Sancti illuminatione speciali opus esse ad Scripturam salutariter intelligendam. Primò, quem effectum Sacra Scriptura soli Deo, & ejus Spiritui attribuit, ille non est Spiritui adimendus. Atqui effectum specialis illuminationis scriptura soli Deo & ejus spiritui attribuit. Ergò. Minor exstat 2. Cor. 4, 6. ubi illuminatio cordium Deo tribuitur Johan. 1 9. Ubi Christus dicitur illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, Johan. 6 29. 1-Cor 3, 2. Philip. 2, 13. Secundò, Si Apostolis eorumque auditoribus necessaria fuit operatio Spiritus Sancti, ut verbo Dei, sicut ad salutem fieri par erat, consentirent, sequitur eandem nobis quoque necessariam esse. Atqui verum prius, Ergò & posterius. Minor patet ex Johan. 14, 26. c. 15. 5. 1. Cor. 2, 12. & 13. 2. Cor. 3. 3. Adde Luc. 18 34 Exempla Apostolorum; Johan. 20 Thomæ; Luc. 24. v. 25. Emauntinorum; Johan. 3. Nicodemi; Actor. 8. v. 21. Eunuchi; Actor. 16, 14. Lydiæ. Denique si ratio hominis cæca est in divinis & doctrinæ salutari repugnat, sequitur eam ad intelligendam Scripturam minimè sufficere. Atqui verum prius 1. Cor. 2. v. 14. Rom. 8, 5. Ergò.

§ 14 Prius quàm hinc discedamus, ut eo felicius hæc cum Socinianis incepta Disputatio procedat, addendum aliquid arbitramur de genuinis fundamentis, quibus inniti atque superstrui illa debet. Nisi enim sic via futuræ disputationi munietur, fieri nequit, ut ratione & via procedat, utq; effectum fructumque, quem divino freti auxilio intendimus, consequatur. Media, quibus potest debetq; probari loci scripturæ interpretatio, alia sunt Apodictica, alia dialectica. Ad dialectica refero autoritatem ecclesiæ & testimonia patrum potissimum primorum quatuor seculorũ, quæ omninò reddere interpretationem aliquam probabilem possunt: ecclesia enim primitiva ab Apostolis non tantùm textum scripturæ, verùm etiam sensum accepit. Sed hoc medium à nobis suo loco relinquetur, nec in hac disputatione adhibebitur, cùm constet Socinianos hôc mediô nolle obligari. Gratificabimur ergò adversariis

& tantum apodictica media urgebimus. Quæ ad hæc tria revocari poſſunt, phraſin, contextum ſive antecedentia & conſequentia & loca parallela. In his mediis utrimque eſt conſenſus. Nam quod primum attinet, *à propria ſignificatione non eſſe recedendum niſi neceßitas urgeat, ſana eſt Theologorum regula*, inquit Smalcius in refutatione theſium Graweri de incarnat. Idem in refutatione Nov: mon: Smigl. pag. 2. & 162. *ſemper*, ait, *ſequenda eſt unius cujuſve vocis & phraſis communis ſignificatio, niſi rationes validæ adverſum omninò ſuadeant.* Adjungimus Crellium, cujus verba de Deo & attributis divinis columna 255. hæc ſunt: *Cum verba certam ex inſtituto ſignificationem, quanquam non ſemper unam, habeant; ſintque adeò definitarum rerum inter homines ſymbola: ſinceritatis divinæ eſt, ut, cum iſtis Symbolis utitur, & omninò oſtendit, ſe hac ratione ſuam nobis ſententiam aperire velle, ita verbis utatur, prout linguæ, quæ loquitur, ratio fert; non vero ad eum modum illa tacitè accipiat, ut ab iis, qui audunt, non poßit non aut contraria menti ipſius ſententia aut ab ea plane aliena concipi. Quod quidem fieret, ſi novas ac plane inuſitatas vocibus aut phraſibus ſignificationes inderet, deque iis homines, quibuscum loquitur, non moneret. Nihil id ſane foret aliud, quàm homines deludere & cum aliquid ſignificare illis videretur, nihil tamen ſignificare, aut in errorem eos conſulto inducere. Id quod à ſinceritate prorſus abhorret.* Huc pertinet illud Enjedini in Pſal. 33. v. 6. *Uno in loco Unius vocis plures & diverſæ ſignificationes retineri non poſſunt.* Quæ verba notentur contra Crellium, qui in reſponſione ad Grotium pag. 95. cenſet *non debere cenſeri abſurdum, ſed potius elegans & ſacris ſcriptoribus, quos multa paucis comprehendere convenit, dignum, ut eadem verba duplicem habeant ſenſum.* Hæc de primo legitimæ interpretationis medio ſufficiant; reliqua duo etiam ab Adverſariis non poſſunt non approbari. Volkel. lib. 5. de vera religione c. 6. Col. 386. expreſsè utrumque medium ponit, cum dicit difficultates in ſacris literis occurrentes expediendas *circumſtantiarum cujuſque loci conſideratione, & ſimilium locorum collatione.*

COROLLARIUM I.

Quod eſt Socinianorum, idem videtur eſſe Anabaptiſtarum πρῶτον ψεῦδος, de quorum Theologiæ gangræna haud itapridem diſputationes XLIIX, publici juris fecit Johannes Cloppenbur-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0025
DFG

penburgius Professor in Academia Franeqverana. Nimirum insana ratio peperit negationem tum eorum, quæ cum Calvinistis communia habent, tum veræ in Christo carnis, cujus originem negant esse ex Maria & Patribus Davide, Abrahamo &c. Contrà expressam & claram literam Luc. 1. v. 31 ubi dicitur Maria conceptura, quod non potest aliter intelligi, quã per conceptionem de substantia sua: unde etiã Christus dicitur v. 46. fructus ventris Mariæ hoc est formatus in utero ex propria Mariæ substantia, Adde Ebr. 2. v. 14. & 16. uti dicitur communicasse carni & sanguini, sicut pueri &c. Gal. 4. 4. item Rom. 1. & IX. Gen. 3 &c. ubi dicitur ex Patribus esse secundum carnem, ex semine David, semen mulieris &c. quæ evertunt hæreticissimam absurdissimam & ineptissimam opinionem statuentium Christum per Mariam transiisse velut per canalem. Vide Clopp. Disp. VIII IX. & XI. Quandoquidem ergo statuunt carnem Christi genitam à Patre ex Patris substantia; atq; hoc pacto dici DEI filium, non quod sit unus cum Patre in essentia DEUS, sed quod secundum carnem suam Patrem habeat in cælis, non possunt misterium Trinitatis non negare. Vide disp. Clopp. l. II. VI. & VII. Hoc negato, negatur Incarnatio, de qua vid. disp. X. negantur officia Christi Propheticum, sacerdotale, regium, eo modo, quo hac oppugnant Sociniani. Negant, in Vet. Testamento ullam fuisse promissionem rerum spiritualium disp. XII. XXIX. XXX. &c. negant Christum interpretatum tantũ esse atq; à corruptelis Pharisæorum purgasse legem moralem, quam cum Socinianis dicunt per variam additionem cultus spiritualis olim non revelati interpolatam adeoq; à Christo tantum non antiquatam & emendatam Disp. XXXV. seqq. Pleraq; additamenta Anabaptistæ communia cum Socinianis habent. Sic ad primum præceptum dicunt additum de adorando Christo, de cavenda Christianis communione cum idololatris, ut de Anthropomorphitarum errore, quem hic errant, nihil dicam: ad secundum, de juramento absolutè illicito: ad ter-

tiam, de abolitione sabbathi externi; ad quartum, de non informandis in pietate & adoratione liberis &c. de abolito magistratu per regnum Christi &c. ad quintum de bellis absolutè illicitis, deq; abolito jure gladii, & prohibita quacunq; vindicta, sine dissrimine: ad sextum, de adulterio oculorum & cordis, deq; dissolutione matrimonij inter fidelem & infidelem &c. ad septimum, de prohibita avaritia, de non solvendo vectigali magistratibus &c. Negant Christi satisfactionem disp. XIIX. Hac negata, negatur justificatio per fidem statuitur justificatio per opera disp. XX. de quorum perfectione ab Anabaptistis conficta vide disp XXIV. & XXV. Porro negato Christi merito negatur gratia conversionis, quam suspendunt à cooperatione virium humanarum Disp. XVI. XXII. & XXXIII. His positis evertitur peccatum originis, & justitia originalis Disp. XIII. XV. XVI. XVII. negatur, mortem pœnam esse peccati disp. XIV. baptismum infantum esse necessarium, aut licitum disp. XLV XLVII. Adde Anabaptisticum errorem de præsentia corporis Christi in cœna, quam juxta cum Socinianis & Calviuistis negant. Vide disp. XLIX. Tantum de prima errorum scaturigine: quod si vero de novitatibus & monstris opinionum Anabaptisticarum jam addendum aliquid esset, verendum foret ne exitum hac recitatio non sit habitura. Nam immensitatem essentiæ divinæ una cum invisibilitate & immutabilitate Dei negant disp. III. IV. V. Electionem ab æterno factam tollunt disp. XX. Ecclesiam ajunt sine macula esse in his terris debere disp. XXVI. ubi additur quo pacto corrumpant distinctionem Ecclesiæ in visibilem & invisibilem: negant, in Paradisum animas credentium deferri disp. XXVII. quas censent dormire, nec gaudio aliquo frui; negant mortuos resurrecturos iisdem numero corporibus disp. XXIIX. negant unam esse Ecclesiam V. & N. Testamenti disp. XXX. Enthusiasmos defendunt disp XXXIII. finem legis & initium Evangelij post mortem Christi constituunt disp. XXXIV. Ecclesiastica consisto-

ria

ria tollunt disp. XLIII. Adde, quæ de vocatione ministrorum & stipendiis, quæ negant deberi ministris, habent disp. XLIV. quæq; Donatistarum errori gemina defendunt in articulo de Ecclesia disp. ult. ut taceam criminationes Scripturæ (maximè V.T.) ut somnia sua tueantur, insectationes Philosophiæ, commendationem regni terreni Christi duraturi 1000. annos, communionis bonorum, polygamiæ &c.

COROLLARIUM II.

Cum Socinianis, Anabaptistis aliisq; fanaticis paria faciunt Novi Prophetæ, quorum errores accuratè notavit atq; publicè confutavit scripto celeberrimus Nic. Hunnius. Iidem sunt errorum fontes, nisi quis malit eos revocare ad capita tria 2. Pet. 3. 16. expressa: τὸ ἀμαθὲς, τὸ ἀστήρικτον καὶ τὴν στρεβλότητα τῶν γραφῶν. Ad ἀμαθίαν referendum, quod Philosophiam vituperant (Hunn. lib. cit. §. 151.) quin & ipsam scripturam, ut quam non didicerunt, calumniantur ut literam mortuam §. 164. nec possunt ferre ut ejus efficacia salutaris commendetur §. 166. seqq. Evangelium faciunt concionem iræ §. 744. seqq. denig; scripturam dicunt ejusq; literam abolendam §. 168. seqq. allegorias nimium extollentes 171. unde fit, ut Christianos defraudent ministerio verbi externi §. 175. 259. seqq. 749. ipsisq; Verbi ministris 187. 750. quos volunt immediatè à DEO missos, quiq; perfectè faciant, quæ docent, tantum audiendos in Ecclesia adeoq; eos demum legitimos verbi ministros habent, qui cum effectu & fructu evidente ac magno docent 197. seqq. defraudant libris devotis Ecclesiam 210. templis 214. 963. scholis & Academiis 234. seqq. quarum gradus insectantur 1032. doctrinam suam confusè nec intelligibiliter tradunt 346. de DEO insulsas phrases usurpant 501. deq; Christo intricatè 559. ut & de resurrectione loquuntur 801. denig; sunt iniqui in personas hodierno-

diernorum Ecclesiæ ministrorum 1017. eorum ministerium 1019. doctrinam 1027. in personas magistratuum 1037. hypocritæ, qui camelum deglutiunt, 915. 918. 932. seq. 943. & alios onere gravantes, quod ipsi ne digito quidem attingere sustinet 924. tumidi & superbi 930. judices perversi 937. turbatores 997. 1037. τὸ ἀσύμφωνον peperit illam hæresium plurimarum confusionem & velut Babelem, dum solidis destituti fundamentis, omnig circumacti doctrinæ vento, prout lubido fert, Pontificiorum, Calvinianorum, Socinianorum, Anabaptistarũ, Weigelij, &c. castra sequuntur. Pontificiorum, dum urgent bonorum operum necessitatem ad salutem efficiendam, purgatorium &c. 355 840. Calvinistarum 356. dum contendunt, Adamum creatum proclivem ad labendum, Christi carnem & sanguinem in sacra Cœna non esse præsentia, Christum esse exaltatum secundum divinam naturam 616. rejiciunt ritus circa celebrationem Cœnæ 964. exorcismum 966. hostias 969. vestes sacras 971. summa, omnes ceremonias 972. seqq. Socinianorum 357. dum negant Trinitatem 518. Incarnationem 560. 726. satisfactionem in cruce 624. 731. 636. seqq. restitutionem amissorum in Adamo 655. 732. urgent perfectam renovationem, ut nullum peccatum relinquatur 805. fidem & agnitionem DEI esse obedientiam mandatorum 384. 500. 724. 771. seqq. sacramenta virtute spoliant 752. negant eandem carnem resurgere 896. docent pœnas damnatorum desituras 899. &c. Anabaptistarum, dum enthusiasmos urgent & raptus, quibus homo in truncum transformetur 282. 300. DEUM in essentia corporeum statuunt 504. personas divinas confundunt 142. negant veram Christi carnem 572. 727. quam dicunt esse cœlestem 590. docent regnum Christi duraturum 1000. annos in his terris ante judicium extremum 685. &c. Weigelii §. 946. &c. Osiandristarum dum contendunt justificationem consistere in essentiali DEI justitia habitante in pio 818. Flacianorum, dum regenerationem fieri dicunt mutatione substantiæ

794. Imo cum Judæis, Turcis & Ethnicis faciunt 363. 364. statuentes Messiam nondum venisse, sed venturum ut mandana gloria ornentur Judæi, Jerusalem reædificatum & Judæos in Palestinam reductum iri &c. Ad salutem non esse necessariam Christi agnitionem. eum, qui pie vivit, posse sine Christo salvari 407. &c. Unde fit, ut reiiciant nomen Lutterisch/ Papistisch &c. 955. rejiciant certos fidei articulos 391 subscriptionem item, quæ fit certis confessionibus & formulis 982. seqq. neminem audeant condemnare, nec ipsi certi sint de doctrinæ suæ veritate 464. seq. 476. 882. 888. 962. 981. seqq. quam nec audent palam profiteri 128. nec permittunt examinari 137. Et quia non sunt rectè fundati, docent inconsistentia 267. 374. monstrosa, v. g. in DEO esse septem spiritus, unde septiformes procedant mundi virtutes 512. Christum tempore Adami semel se humiliasse 602. Christum esse essentialem humilitatem 610. Christum portasse peccata totius mundi, non solorum hominum 643. purgationem à peccatis fieri uuicujusq. proprio λύτρῳ 652. Christum hactenus dominatum non fuisse 674. & quæ sunt his similia quam plurima, quæ libro citato copiosius explicantur. Tandem depravationis scripturarum specimina qui cupit, is adeat lib. cit. § 141. seqq 312. 182. seqq. 226. 229. 261. 284. 291. 321. 344. 411. seq. 482. seq. 584. seq. 594. 812. 826. seqq. 851 seqq. 865. seqq. &c. &c.

COROLLARIUM III.

Ut eo melius intelligantur, quæ §. 4. de additamentis ad decalogum dicta sunt, notandum, contendere Socinianos, ad tabulam primam additum esse, ut gaudeamus in domino, & spe futuræ vitæ æternæ perpetuò oblectemur, ut Christianæ constantiæ & patientiæ studeamus, ut simus parati etiam vitam pro pietate Christiana profundere, ut gravitati Christianæ studeamus, crucem

cem nostram portemus, Christum imitemur. Praeterea ad praeceptum primum dicunt esse additum, ut Christum habeamus pro DEO, Item, ne adeamus illa loca, ubi idola religiosè coluntur. Ad secundum, ut per Christum preces fundamus, adeoq; ipsum Christum invocemus, ut certa forma orandi, nempe oratione dominica utamur, ne juremus in rebus etiam veris, ut denique pro omnibus hominibus, nominatim pro Regibus, inimicis, oremus, omniumq; salutem promovere studeamus: ad tertium dicunt esse adjectum ab Apostolis mandatum de die dominico celebrando. Ad secundam tabulam dicunt esse adjectum mandatum de diligendis etiam iis, qui non sunt de populo DEI, de diligendis inimicis, deq; dilectione Fratrum tanta, ut simus parati etiam animas ponere pro Fratribus: in specie ad quartum praeceptum dicunt, addita certa mandata pro Ecclesiae Doctoribus, & auditoribus, pro magistratu & subditis, pro maritis, uxoribus, liberis, pro Dominis, servis: ad quintum ne temerè irascamur, criminemur, ut caveamus vindictam tàm privatam quàm publicam, ut caveamus omnia bella, & cum omnibus pacem colamus: ad sextum dicunt esse additum interdictum de interna quoq; machatione, de scurrilitate, de polygamia & divortio, quae in V. T. fuerunt licita, in N. verò non: ad septimum additum dicunt, ut omnibus hominibus, maximè autem domesticis fidei benefaciamus, ut vendamus nostra & demus eleemosynas, ut mutuum demus nihil inde sperantes, ut ne quis plus habeat, quàm ad se alendum sufficit: ad octavum, ut veritatem loquamur, nec mentiamur ex levitate, ne judicemur alios, ne obtrectemus vel etiam imprecemur alicui: ad nonum & decimum dicunt adjectum, quod de contemptu mundi habet Johannes 1. Joh. 2, 15, 16. &c.

EXERCITATIONUM ANTISOCINIANARUM
SECUNDA.
DE

MYSTERIO TRINITATIS.

Quam,
DEI GRATIA ADSPIRANTE
PRÆSIDE
CASPARO MAURITIO,
SS. Theol. D. ejusdemq; P. P. & Ecclesiaste.
publico examini sistit
DANIEL LIPSTORPIUS,
Lubecensis.
Ad diem 12. Octobr. in auditorio Majori.



Universitäts Bibliothek Rostock

ROSTOCHI,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. 1650.

pppp 23, c.
1650

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0032

VIRIS

Magnifico, Nobilißimo, Admodum Reverendo, Excellentißimo, Conſultißimo, Reverendis, Clarißimis, Ampliſſimo.

DN. ANTONIO COLERO, J. U. D. & Conſuli magnifico liberæ Imperialis Lubecæ.

DN. MENONI HANNEKENIO, SS. Th. D. & Eccleſiarum Lubecenſium, Superintendenti, graviſſimo, vigilantiſſimo.

DN. DAVIDI GLOXINIO, J. U. D. & Reipubl. Lubecenſis Syndico Conſultiſſimo.

DN. M. ADAMO HELMSIO, Venerandi miniſterij Seniori & Paſtori Eccleſ. Petrinæ meritiſſ.

DN. M. GERARDO WINTERO, Paſtori ædis Jacobææ digniſſimo.

DN. M. DANIELI LIPSTORPIO, Eccleſ. Cathedralis Paſtori & Parenti ſuo chariſſimo.

DN. M. JACOBO STOLTERFOTHO, Paſtori Eccl. Marianæ celeberr.

DN. JOHANNI ZEIDLERO, Paſtori Eccl. Ægydianæ digniſſ.

DN. ALBERTO BALEMANNO, Eccleſ. Marianæ Diacono digniſſ. affini ſuo pl. honorando.

DN. HERMANNO von Dohren/Ampliſſ. urbis Camerario, & Senatori graviſſimo.

DN. Patronis, Promotoribus, Evergetis Favitoribus magnis.

S. P. D.

בגר

EAeſt, Viri, Magnifice, Nobiliſſime, admodum Reverende, Conſultiſſ. Reverendi, Clariſſ. Ampliſſ., Ea eſt, inquam, humani generis proh dolor! conditio, ut machinator omnium malorum, & divini numinis ſemper inimicus non tantum noſtris fortunis inhiet, quo nos in deſperationis barathrum detrudat, ſed & ſuarum & alienarum animarum interfectores excitet, qui pravis religionibus & inſtitutis avertant homines abſtinere cœleſti, & in viam perditionis inducant, qualium ingeniorum hoc ſeculo tam copioſam meſſem reperies, ut veluti hydra Lernæa reſecto

uno

uno capite feliciori proventu gaudere jure meritò dicendi sint; Et quod omnium malorum pessimum, quod eandem habeant causam ad movendas tristissimas illas turbas, quam plerique omnes hæretici, ambitionem scilicet (sicut probe notavit celeberrimus Chemnitius in L: C: p. t. p. 57.) Quæ cum ita sint comparata, haud indigna consideratione quæstio propullulat; cur justissimus Deus in ecclesia hæreses oriri permittat? Hic si malesanæ rationi frena laxare velimus, sine mora fatum quoddam Stoicum introducet; Ut nondicam hac vice de Pistatore ejusque asseclis, qui á Genio suo Calvinistico ducti, immutabile & absolutum Dei decretum objiciunt, depravantes locum Paulinum 1. Cor. 11. v. 19. Δεῖ γὰρ καὶ αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι. Verum in promptu est responsio, quod ob antecedentia mala, de quibus hactenus Apostolus â cap. 1. v. 11. 12. & causas hæresium in actu positas futurum sit certissimè, oporteat & necesse sit necessitate consequentiæ hæreses oriri & esse, quippe quæ non possunt non esse, ubi Deus justo suo judicio permittit venire efficaces errores, quando homines revelatæ veritati credere 2. Thess: 2, VII. uno ore Deum invocare & (quod atro lapillo notandum) charitatem colere nolunt. Prout id ipsum pluribus evincit CL. Joh. Tarnovius exert. bib. p. 886. Porrò autem, ut gloria divina hîc quoque eluceseat, notanter addit, ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν, innuens scilicet, etiamsi sua natura pestilentissima res sit hæresis, Deum tamen, quæ est ejus benignitas, ita hanc pestem moderaturum, ut piorum commodo cedat, & (quod est vetustissimi Latinorum Patrum Tertulliani aureum effatum) fides habendo tentationem habeat etiam probationem. Quo circa ex Augustino, Theodoreto, & aliis ecclesiæ primitivæ columnis tres hæresium utilitates collegit Reverend. D. Pappus in Epitome historiæ Eccles. N. T.; quarum prima hæc est: ut ex collatione hæresium sana doctrina melius diligentius examinetur: 2. ut detectis falsorum dogmatum abominationibus, & perspecta veritatis luce odium hæresium & veritatis amor in nobis accendatur, & crescat, ipsique errores, tanquam periculosi quidam scopuli & Syrtes evitentur; Tertia, ut ex collatione hæresium veræque doctrinæ Sacras literas tantò majoris æstimemus, Deumque devotius obtestemur precibus, ne in præcipitia nos vergere, & à recto tramite aberrare permittat. Hisce jam præmissis operæpretium me facturum puto, si de illa quæstione pauca quædam attigero, quæ multorum curas jam pridem exercuit, animosque eorum ancipitis cogitationis distractione fatigavit: An satius sit de Theologia Socinianæ tacere, quàm pulpita Academica passim illius portentosissimorum errorum, atque argutiarum refutationibus implere? Prius quam vero aliquid de ea mihi dicendum sumam, non possum intermittere, quin laudatissimi Patris Theodoreti verba, quæ habet l. 1. hæret: fabularum producam. Non eo, inquit, animo audire vanos istos errores, qui teterrimum odorem emittunt, debemus, ut eos libenter audiamus & amplectamur, sed ut reliquos doceamus, quæ sit recta publica via, quam Prophetæ & Apostoli triverunt, nobisque tutissimum adversus omnes hæreses reliquerunt. Itaque ut Medici de venenis toxicis libros conscribunt, non ut iis uti doceant homines, sed potius, ut ab iis nobis caveamus; sic hæreses describuntur, ut evitentur, non autem, ut suscipiantur. Hactenus Theodoretus, qui solus rem confecisse videri posset, nisi obstrepentes audias nonnullos, plures posse hisce polemicis offendi, qui in veritatis via regia nondum sint confirmati. Et hæc in speciem plausibilia sunt præsertim si retrogradam annorum seriem paulisper animo volvamus, & quanta animi pervi-

tacia, quanta vafricie ſua propugnaverit dogmata Fauſtus Socinus, reputemus. Reperiuntur in proh dolor! quàm plurimi, qui, ut Naciancenus loquitur, inſtar auræ ſubinde ſe immutantis, aut reciprocantium Euriporum, aut inſtabilium maris fluctuum, facili momento in contrarias ſententias feruntur ac revolvuntur, non ſecus ac ſi quis vel oculorum vel aurium vitio laborans ſolem aut voces accuſet, illum ut obſcurum & minus fulgentem, has ut abſonas & imbecilles. Hæc quam verè Naziancenus pronunciaverit, ſatis ſuperq; teſtantur veritatis exules (ſicut hæreticos nominavit Op. Milevitanus.) Quantum enim periculum univerſæ immineat eccleſiæ ab hac viva teterrimarũ hæreſium imagine, & quam πολύμορφον τερᾶτιον (quod Epiphanius de Ebione uſurpavit) verè dixeris, miſera teſtatur Europa, teſtatur Polonia, Tranſſylvania, Sarmatia, imò dulciſſima noſtra patria Germania, quæ Eheu! hæc horrenda monſtra paſſim in ſinu fovet. Eandem quippe iũ propugnavit argumentis Socinus, quæ vel exercitatiſſimis negotium faceſſant, illos verò, qui minus in S. literis exercitati fuerint, facili negotio confundant, vel certè in fidei myſteriis ambiguo s reddant: Unde tanta malorum Ilias conſecuta eſt, ut viros ab eruditione inſigni conſpicuos nacta ſit propugnatores; quos ordine recenſet Excell. Dn. D. Calovius in Pſeudotheologia Sociniana § 146. p. 56. quibus verſutiſſimus noſtri ævi Mercurius Martinus Ruarus, meritò accenſeri poterit, qui non ſine inſigni detrimento Academiæ Noricæ innotuit. Et ſane calidũ deflendum lachrymis, quod audiantur ſæpe voces eorum, qui religioni noſtræ ſe addictos ore profitentur, dogma Neophotinianum ſolidè refutari nunquam poſſe; imo reperiri, qui opinentur horum hæreticorum libros non refutandos, ſed potius è Germania proſcribendos & exurendos eſſe, neminiq; ut eos legat, concedendos. quod tamen fieri hactenus non potuiſſe experientia teſtũ eſt. Adde quod Arrio non multum ſint abſimiles, dum omnes voces in Scriptura poſitas eludunt, & per veriſimilem locutionem, ſicut inquit Naziancenus, incautos deeipiunt, ita ut in hoc paſſu rediviva Arii ſoboles eſſe videantur. Jactitant enim ſeſe nullam religionem præter Chriſti amplecti, nobiſq; perſuadere conantur, quod in fundamento fidei cum aliis à Papiſmo reformatis eccleſiis conſentiant, cum tamen aſtutam vapido ſub pectore vulpem geſtent, ut cum Poeta loquar, & eo magis noceant, quo occultius irrepunt, imò ob id cane pejus & angui fugiendi ſint. Quid ergo hîc faciendum? Lupiſne oves ut diripiant, committendæ? Nonne reſpondendum eſt illis, qui ad ſolam ſacram ſcripturam ad ravim usq; provocant! utiq;. Præterea enim, quod non minus fructuoſum atq; neceſſarium exiſtimet CL. Keſlerus in refut. Metaphr. Socin. è philoſophica ſubtilitatum officina ſophiſticationum nodos diſſolvere, non infimæ ſortis ſcriptor à parte ἑτεροδοξίας Georg. Eniedinus in præfat. explicationi locorum V. & N. T. præmiſſa pagellas querelis implet, quod doctrina ipſorum diris iantummodo devovenda, & quod nullu unquam ætatibus, nullis ſeculis cuiquam vel nationi, vel Sectæ intigiſſe videatur, ferro & flamma exſtirpanda, non autem ſacrarum literarum tenore everenda cenſeatur, cum tamen Sancti codices paſſim ab omnibus magnis, parvis, doctis, indoctisq; legerentur, imò humanis commentis nos pugnare, & pro noſtro cerebro divinis oraculis quædam miſcuere, & quidem in re tam ardua, ubi tantum expreſſo verbo opus eſſet. Tantum cnim abeſſe, ut humana ratio ſcripturæ conſona videatur, ut δι᾽ ὅλα πασῶν potius ab ea diſſideat. Hæc Gedinus. Taceo jam, quod non ignota vox ſit Photiniana: Sinon reſponderis, reſpondere te non

non posse arbitrabor, è quibus nemo nō nisi qui frontem penitus perfricuerit, facile videt, illū, qui ad armaturam Spiritus Sancti, gladium illum antipitem subinde provocant, esse occurrendum; ut hac via ipsum causæ jugulum petentes, illos, qui in hoc luto adhuc hærent, partim extrahamus, partim verò insanum illud Catoerbes, illud impurum blasphemiæ os obduremus, ne vel lucem fugere, aut causæ nostræ diffidere, ne fratres nostros deserere, ne cum primis pro Christi gloria pugnare non velle videamur; Cui sententiæ quoq; non obscure adstipulatur Jacobus Martini, vir de Ecclesia Christi optime meritus, in Synopsi totius religionis Phot. Tantum de hac quæstione. Nunc autem ex dictis satis constare arbitror, non in ultima classe esse ponendos, aut in exiguo pretio habendos esse illos, qui Socinianam hæresin novorum paradoxorum matrem-rationis insanientis fœtum, ac diaboli sacras literas impiè conspurcantis excrementum esse, validè demonstrant. Hæc enim cum ipsissima fundamenta sanioris doctrinæ penitus evertat, & mysteria divina ita subruat, ut universa salutis ratio prorsus periclitetur, non potuit non ad extrema tartara profligari ab omnibus, orthodoxæ religionis patronis, de qua verissimè Hugo Grotius in piet. ordin. Holland: Cum hæresis sit venenum ecclesiæ, & quidem præsentissimum, sed tamen hæreseos aliqui sint gradus, ut sit hæc illa nocentior, pejorem non reperiri hæresi Socinianæ, ad cujus etiam mentionem pii omnes exhorreant: Præterquam enim, quod universa-scriptura vim patiatur longe maximam & prioribus seculis inauditam, in ipsa novitate sua-statim se prodit hic pestilentissimus Sorex. Cum enim in Catholica ecclesia magnopere curandum sit, ut id sciamus, quid ab omnibus, quid ubiq;, quid semper creditum sit (sicut ex Vincentio Lyrinensi & Magno nostro Chemnitio, egregiè demonstrat Cl. Vossius in hist. sua Pelagiana) doctrina Sociniana, sive eam universam spectes, seu potiora capita religionis sigillatim respicias, prorsus nova est, teste universa historia ecclesiastica: I. enim sub V.T. non fuit, cū tamen una tantum sit ecclesia, una solùm fides, unica salutis ratio & via: II, nec fuit in primis & sinceroribus ætatibus, quibus Apostolorum floruere discipuli, neque in sequioribus, sed ante octaginta annos, & quod excurrit, primò cœpit, adeoq;, ex quo manifestatus fuit Christus, inanis fuit fides nostra, frustraq; martyres martyrium subjerunt, non diffitente ipso Socino in Ante VVujeck. Verba ejus citat Dn. D. Calovius in Orat: Inaugur alip. 17. Ingenuè profitemur, sententiam nostram de Christi natura & essentia adversari omnibus scripturæ interpretibus, quorum scripta ad nostram ætatem pervenere. Et alio loco. Nec à Patribus & conciliis, quæ extant, dissentire nos diffitemur: neq; enim arbitror, ex scriptis nostrorum hominum ostendi unquam posse, eos asserere scriptores ante Concilium Nicenum, qui hodie extant, nostræ sententiæ fuisse. Hæc infaustus ille F. Socinus. Nec mirum est Socinum eò absurditatis & ἀνοίας devenisse quod antiqua illa Ecclesiæ symbola pariter cum ipsa illa damnaverit, præsertim cum (ut verbis S. Gregorij utar) occultam post Christū sapientiam nobis hodie aununciet, sicut dextre de eo judicat CL. D. Hornejus in præf. hist: Eccles. Et hac vera esse arguit ipsius F. Socini confessio, qui præter unum Lælium patruum suum, nullum prorsus magistrum se habuisse, eodemq; Lælio neminem unquam exactius de omnibus Christianæ religionis dogmatibus vel sensisse, vel locutum fuisse, impudenti ore affirmare non erubescit? cæcitatem! Nota est S. Basilij M. sententia & doctissimo Chemnitio meritò laudata, Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt, Patres conservarunt, martyres confirmaruut, sis contentus, sicut edoctus es. Socinus contrà, omnes ferè hæreses effreniore approbat, & inter illas inaudita Ebionis & Cerinthi deliria, quorum ultimus eo impudentiæ tandem progressus esse dicitur ab Epiphanio, ut statueret, Christum à mortuis non

resur-

resurrexisse, sed tum demum resurrecturum esse. cum homines omnes excitabuntur, notante D. Horneio in hist: Eccl: l. 1. c. 15. p. 29. Quem errorem salutis devoratorium esse, quis non videt? At quid dicemus de eo, quod omnia, quacunq; hæretici veteres erronea excogitaverunt in doctrina fidei, ea fermè omnia in Pseudo Theolog: Socinianam se exonerent, prout operosè id ipsum ad oculum demonstrat D. Calov: in Orat: inaug: p. 27. 28. 29. 30. Multo magis vero hanc sectam detestabitur, atq; ad ultimam Thulen proscribet, quicunq; attenderit, quam latam aperiat fenestram ad Judaismum, Mahometismum, Paganismum; prout idem demonstrat D. Calov. in Pseud. Th: Soc: p. 90. 91. seqq: usq; ad 106. ita ut non rarò abominabiliores ipsis errores foveat. Præprimis v. notanda est blasphema vox Serveti, quam citat B. Chemnit: in L. C. p. 1. p. 56. facillimè posse collationem institui inter Alcoranum & doctrinam Mahumeti, si modo articulus de trinit: tolleretur, quam postea Socinus quoq; approbavit, quamvis fateri cogatur, Mahometi sententiam de Christi essentia & natura propius ad eorum qui Trinum Deum colunt, accedere, quàm ad suorum. Tandem vero qualem ipse Socinus fidem fabricet, sub cujus tegumento nullus fere error delitescere non possit, patet ex ipsius verbis ep: 3. ad Dudith: p. 42. Nullum mihi est dubium, quin omnes illi, sive Calviniani, s. Lutherani s. Anabaptistæ, Sive Arriani, qui se ad præscriptum Christi gesserint, cælestis viiæ hæreditatem adituri sint. (â quâ sententia profecto haut procul absunt Turcæ: Nam Busbequ: epist. 3. p. m. 190 itin: Turc: Rustanum ita se alloquentem introducit. Ita est profecto, æternæ beatitudinis consortes fore eos, qui sancte, innocenterq; hanc vitam traduxerint, quamcunq; illi religionem secuti sint) de Papistis idem affirmare nolim, quos omnes hodie idololatras esse statuo; novi vero, neminem idololatrarum salutis compotem fore. Hæc Socinus. Quid si nos argum: invertamus, & proprio gladio jugulemus in faustum Socinum, qui præter unum illum verum Deum, ut Deum colendum esse, qui natura Deus non est, sed purus homo, asserit. Et quicquid etiam obvertat, nunquam t. πολυθείας gentilium notam effugere poterit. Quod si jure Pontificios olympo excludendos censent, propterea, quod Sanctos ut Deus colant, more irregenitorum gentilium, annon in propria sæviunt viscera, quod alios damnent, qui t. haud quaquam sanctos summo Deo æquales constituunt, perinde ac ipsi faciunt. Sed pagellarum angustia telam discursus nostri abrumpit. Quod reliquum est, Viri Nobil: Magnif: Adm: Rev: Consultiss: Rev: Clar: Ampliss: serena fronte accipite has in studio Theologico ingenij primitias, quas vestra singularis in me benevolentia & summus favor, quo literatos prosequimini vobis jam pridem vendicavit, & indignissimo vestro, sed tamen indigo clienti porrò, sicut capistis, favete. Rostochij anno æræ Dionysianæ 1650. Non. Octobr.

V. N. M. A. R. E. R. Cl. A.
devotissimus.

Daniel Lipstorpius, SS. Theol.
& Phil. Stud.

DEO DUCE!

Thesis I.

SUperiori exercitatione falsarum Socini opinionum primas lineas duximus: nunccolores addendi, non illi quidem Rhetorici, sed quierrare Socinianos ex clara Scripturæ litera, adhibitis interpretandi mediis, quorum vim declinare nequeant, imò, quæ concedant & urgeant ipsi, ut ex dictis est manifestum, demonstrent. Ordiemur in nomine Jesu à Jesu nostro, quem Sociniani in Maria demum cœpisse modis maximis contendunt. Esto ergo thesis prima: *Christus extitit ante Abrahamum.* Hæc clarè continetur Joh. IIX. 58. Hic urgemus voces, *antequam Abraham fieret, ego sum* absolutè positas: urgemus contextum & convenientem interrogationi responsionem: v. 56. 57. 58. urgemus deniq; locum similem Joh. XIV. 9. cap. XV. 27. ubi τὸ εἰμὶ etiam præteritum tempus includit, sicut fit Exod. III. 14. Sum qui sum, & Psal. XC. 2. πρὸ τοῦ ὄρη γενηθῆναι καὶ πλασθῆναι τὴν γῆν καὶ τὴν οἰκουμένην, καὶ ἀπὸ τοῦ αἰῶνος καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος σὺ εἶ. Qui locus Psalmi evertit exceptionem Socinianorum de solœcismo, item de Aoristis, quasi semper sequantur tempus eorum verborum, cumq; ibus junguntur: quam regulam suam adversarij nulli Grammatices authori idoneo, sed suo cerebro atq; libidini divinis oraculis clarissimè scriptis contradicendi unicè debent. Locus ipse, quem adducunt adversarij ex Joh. XIV. 29. ipsis adversus est: neq; enim propter præcedens præteritum Aoristus γενέσθαι præteriti significationem obtinere ullo modo potest. Quæ excipiunt alia, exigui sunt momenti & velut nebulæ ad radios solis. Dicunt, hunc esse sensum: antequam Abraham fiat Pater multarum gentium, ego sum lux mundi. Hoccine est Scripturas interpretari? Nusquam vestigia in textu occurrunt Patris multarum gentium: τὸ est secundi, ut vocamus, est adjecti: &, quanquam lucis mundi fiat mentio colloquio cum Judæis primo, longum tamen est inter 12. & 58. versus intervallum, quatuor distincta

colloquia, nec potest è Scriptura ullus locus produci, quo ellipseων expletiones tam audaces imò impudentes, probabiles reddi queant. Quæstio erat de tempore præterito, Abrahamo scilicet defuncto: quod si dictum esset, antequam Abraham fieret Abraham, tum fortè exceptio adversariorum ponderis aliquid haberet. Sed de futuro nulla est quæstio: malè ergo statuitur Christus impertinenter respondisse, & sine ullo simili exemplo. Tandem etiam sub Veteri Testamento Abraham erat pater multarum gentium, non tantum Judæorum credentium Act. XXVI. 7. verum etiam gentilium, qui Hierosolymam proficiscebantur ad adorandum & sacrificandum, ut sic per fidem consequerentur remissionem peccatorum, ut suo loco pluribus demonstrabitur. Interim videantur Gen. XVII. 12. seq. 27. Lev. XVII. 8. &c. Deut. XXIII. 7. 8. 1. Reg. IIX. 41. &c. Jon III. 6. Esd. I. 1. seqq. cap. 6. 7. seq. Act II. 8. seqq. & inprimis Rom. IV. 11. unde satis apparet, Abrahamum jam ante Christi nativitatem, imo ex eo tempore, quo accepit signum fœderis, circumcisionem, cœpisse esse Patrem multarum gentium. Contendunt quidem τὸ εἶναι hic positum esse pro ἔσεσθαι, esse pro fore, sed sine omni fundamento phraseos, contextus & similium locorum. Quin actu fuisse Abrahamum tempore V. T. Patrem multarum gentium credentium in præputio loca jam adducta validè demonstrant. Si enim tunc credentes erant alienigenæ, utiq; eorum Pater κατ' ἐξοχὴν πίστεως fuit. Cæterum fuisse sole meridiano clarius est.

§ 2. Sed &, dum *ante Johannem Baptistam* fuisse dicitur, imò *ante omnia*, solidè refutatur Socinianorum hæretica assertio. Prius est Joh. I. 27. 30. ubi expresè dicitur ante Johannem fuisse. Notandum hic τὸ ἔμπροσθεν, quam vocem designare prioritatem temporis clarum est ex Joh. III. 28. Marc. I. 1. tum ex contextu. Tale enim hic intelligitur prius, quale est posterius. Atqui τὸ ὀπίσω manifestè notat posterius tempore; neq; enim dicent adversarij, Christum esse dignitate posteriorem & inferiorem Johanne, qui de se fatetur ipse, indignum esse se, qui Christi solvat corrigiam. Et, ne scrupulus aliquis supereset, ἐξηγήσει addita Johannes, de qua loquatur prioritate, indicat: ὅτι πρῶτός μου ἦν quæ verba sic absolutè posita non possunt alius rei præterquam temporis nota esse. Rectè Syrus: *qui post me venit, & fuit ante me: quia prior est quam ego.* Fuit ergo sive extitit Christus ante Johannem Baptistam, non utiq;

secundum

secundum humanam, sed secundum divinam naturam, cujus aspectu Colos. I. 17. dicitur *esse* (absolutè & simpliciter) *ante omnia*. Contendunt quidem adversarij, non denotari hic æternitatem, sed dignitatem, adeoq; hoc tantum dici, Christum esse ante Angelos, κυριότητας, ἀρχὰς, ἐξουσίας, de quibus præcessit. Verum sic dicendum fuisset πάσων, non πάντων. Et reclamat huic glossæ contextus Præcedunt & sequuntur τὰ πάντα, nec, quod in medio positum est, πάντων aliter accipi potest. Deinde, quo pacto omnia Christus creare, visibilia pariter & invisibilia, atq; eadem hæc conservare poterit, nisi sit ante omnia, adeoq; nisi sit æternus & omnipotens DEUS? Dices: τὸ κτίζειν non hic creare esse sed reformare. Sed hac de re posteà agetur.

§. 3. Nunc probabimus thesin secundam: *Christus est supremus DEUS*. Clarè hæc thesis continetur Rom. IX. 5. *Christus est super omnia DEUS benedictus in secula*. Habes hic, quod Christus sit DEUS super omnia i. e. supremus & quidem benedictus in secula, quæ est notatio summi & altissimi Dei ex usu Ebræorum & ipsius Pauli Rom. I. 25. II. Cor. XI. 31. Neq; excipere possunt aliter accipi phrasin illam, cum Patri, aliter, cum Christo applicatur: sic enim Scripturæ certitudo perit una cum fide, ad quam stabiliendam nobis abunde sufficit, quod ex iisdem κριτηρίοις nobis liceat concludere, Christum esse summum Deum, ex quibus concludimus indubitatò, Patrem esse summum Deum. Dicunt nonnulli, verba illa ultima ὁ ὤν &c. esse referenda ad DEUM Patrem, & statuendum esse punctum post verba κατὰ σάρκα. Sed hæ molitiones sunt insulsæ & contra fidem exemplarium Græcorum, contraq; Syrum interpretem. Quin ante certamen cum Arrio de Christo legit & accepit hæc verba Tertul. adversus Praxean cap. XIII. Ineptum vero est punctum illud. Neq; enim particula τὸ otiosè hic posita est, quippe quæ manifestè ostendit alio respectu Christum esse ex patribus, nempe τὸ κατὰ σάρκα, alio non esse, in quantum scilicet altissimus DEUS est. Et quorsum τὸ ὁ ὤν? Quod certè clarissimè respicit ad Christum, de quo præcesserat. Neq; audiendi sunt, qui dicendum fuisse ὃς ἐστι vel ὃς ὤν contendunt. Æquipollentia enim esse ὁ ὤν & ὃς ἐστι vel unicus locus II. Cor. XI. 31 demonstrat. Hæc tenenda contra fucum & fallacias Socinianorum, de quibus testari possunt verba Schlichtingij adversus

versus Meisn. pag. 187. *Agnoscimus*, inquit, *libenter & cum gaudio profitemur, Christum esse verum aeternumq; Deum, nec hominem merum esse unquam dicimus, aut Christum in vulgarium hominum censum referimus, quasi nihil supra hominem in eo agnoscamus, sed de natura saltem illius loquimur, quam humanam, nec ullam praterea aliam in eo fuisse asserimus.* Nimirum *vox* DEI ipsis non est nomen naturæ, sed officij, denotatq; explicante Volkelio Col. 422. *gubernatorem suprema aliqua potestate præditum, adjutorem, benefactorem & defensorem.* Notatu digna sunt verba Smalcii in exam. cent. error. pag. 15. *DEUS Christo in salute hominum procuranda locum quodammodo honoratiorem ad tempus concessit, & salus nostra in manu Christi absolutè est posita: Christus in usu suæ potestatis, ob quam ipsi debetur adoratio, non dependet à* DEO; *DEUS ad certum tempus cessit imperium suum super homines Christo, quod ad salutem eorum attinet: Christus potestate sibi data ità utitur, ut Pater neminem judicet, hoc est ita regat & gubernet, & Patri subjectus non sit Christus ratione potestatis.* O insanam rationem!

§. 4. Nos in Christo etiam esse naturam summi DEI probare pergimus. Jehovæ nomen esse DEO essentiale & proprium designandæ naturæ divinæ immutabilitati patet tum ex origine vocis tum ex usu Scripturæ Es. XLIII. 10. 11. Vide Exod. VI. 3. III. 15. XXXIV. 14. Jerem. XVI. 21. XXXIII. 2. XLIV. 26. Amos V. 8. 9. &c. Crellius quanquam contra omnes linguæ sanctæ peritos dicat hoc nomen esse appellativum, tamen sui oblitus haud obscurè fatetur Col. 79. hoc DEI nomen esse proprium. Dixerat *hoc nomine notari DEI constantiam in servandis promissis & potentiam, quæ res promissas alioquin difficillimas præstat. Quia vero*, inquit, *tanta potentia non nisi in eum cadit, qui summus sit rerum omnium Dominus & monarcha, hinc factum, ut ob ἐξοχὴν significationis DEI evaserit proprium &c.* Inde est, quod Crellius Col. 82. dicat *nullum proferri locum posse, extra controversiam positum, in quo nomen Jehova absolutè prolatum Christo tribuatur.* Nos producimus locum Esaiæ VI. 5. collatum cum Johannis XII. 41. & tale formamus argumentum. Cujus gloriam vidit Esaias, ille est Jehovah. Atqui Christi gloriam vidit Esaias. E. Christus est Jehovah. Excipiunt nonnulli, hunc versum apud Johannem esse includendum parenthesi una cum tribus præcedentibus, & referendum ad Deum Patrem, sed quia diffidunt huic responsioni, (si enim liceret ita effingere parentheses & distinctiones, quidvis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0041
DFG

quidvis possit è quovis exsculpi, & nullus esset tàm absurdus atq; alienus sensus, quin inferri in scripturam posset) pergunt posse dici, (ubi notetur vocula *potest* ad quam semper recurrunt) Esaiam non præsentem sed futuram Christi gloriam vidisse; hoc enim prophetarum proprium esse. Respondeo, etiam si concedatur de futura gloria esse sermonem, argumentum tamen immotum manet: Cujus futuram gloriam vidit Esaias, ille est Jehovah. Verum quod Esaias non futuram, sed præsentem gloriam Christi viderit, multa sunt argumento: Vidit enim suis oculis Dominum Jesum, eumq; sedentem in throno, astantibus Seraphim, quorum vocem audiit, & quod rei caput est, ab hoc Domino gloriæ mandatum accepit Et hinc est, quod expresse Christus dicatur Dominus gloriæ I. Cor. II. 8. hoc est, potens Deus, summæ gloriæ & majestatis plenus Conf. Es. XLII. 8. ubi DEI summi hæc sunt verba: Ego sum Jehovah, illud est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Quæ sententia Esaiæ est generalis, non ad sculptilia tantum, verum etiam alium quemcunq;, qui non est Jehovah, pertinens. Adde Joh. XVII. 5. ubi dicitur Christus gloriam habuisse apud Patrem ante constitutionem mundi. Hic notanda est vox εἶχον, quæ non potest trahi ad divinam prædestinationem: sic enim & nos gloriam habuimus ante mundi constitutionem, quanquam nec hoc diffitendum sit, fideles nunquam dici habuisse, sed tantum habere, spe scilicet, gloriam æternam. Deinde producimus loca Zach XII. 10. Joh. XIX. 37. Apocal. I. 7. Ad quem respiciunt & quem transfigunt Judæi, ille est Jehovah. Atqui Christus est ille ad quem respicient, & quem transfixerunt E. Hic urgemus τὸ videre, & τὸ transfigi. Nō enim dici potest, Patrē, qui est ἀόρατος quemq; non transfixerunt, hic intelligi. Addi potest collatio locorum Psalmi CII. 26 & Heb. I. 10. seqq. quæ contra hæc loca excipiunt, paulò post discutiemus: item collatio Es. XLV. 23. & Rom. XIV. 11. Phil. II. 20. Cui incurvabitur omne genu est Jehovah, At Christus est ille, cui incurvabitur omne genu E. &c.

§. 5. Pro corroboranda thesi nostra porro loca illa producimus, in quibus expresse Christus dicitur Deus. Crellius de DEO & attributis divinis Col. 96 concedit, quod & reliqui Sociniani urgere solent, (vid. Schlichtingium cont. Meisn. pag. 145.) *quando vox θεὸς occupat locum subjecti, & quando ei præfigitur articulus, tum intelligi summum* DEUM.

Nos

Nos hanc hypotheſin acceptamus, & opponimus locum clariſſimum, I. Joh. V. 20. ubi de Chriſto dicitur, quod ſit ὁ θεὸς cum articulo. Hic urgendæ ſunt voces οὗτός ἐστιν ὁ ubi prius ponitur pronomen demonſtrativum, & deinceps ſequitur articulus ὁ definiens, quis ſit ille οὗτος, nempe de quo proximè ac præcipuè agebatur. Sic autem has particulas eſſe accipiendas ex locis parallelis patet. Matth. III. 17. &c. Marc. VI. 2. ſeqq. &c. Joh. I. 33, IV. 19. VI. 14 & 48. ſeqq. VII. 40, 41. I. Joh. V. 6, 7. Deinde de Chriſto eſſe accipiendas haſce voces patet ex eo, quod additur vita æterna: hoc titulo nunquam nec Johannes, nec Scriptura Patrem ſeorſim ſpectatum deſcribit, ſed filium paſſim Joh. I 25. XIV. 6. I. Joh II. 4 Col III. 4. &c. Quare ſequitur Chriſtum, de quo proximè locutus fuerat Johannes, quiq; paſſim ſalutatur vita æterna, eſſe ſummum Deum. Dices. Obſtare locum. Joh. XVII. 3. ubi dicitur ſolus Pater Deus verus & ſummus Reſp. 1. opponendo ſimile argum. Matt. IV. 10. dicitur: Solum Deum adorabis. At hic non excluditur filius fatentibus Socinianis. Quod ergo hic nobis reſpondebunt, id ſibi quoq; reſponſum habeant. Deinde optimè ordinatur conſtructio illius verſus hoc modo: Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum eſſe ſolum verum Deum. Inſtabis amplius, Patrem opponi idolis ſolere, non Chriſtum. Reſp. Idolis opponi verum Deum, quem cum eſſe Chriſtum fateantur adverſarij, neceſſariò eos fateri neceſſum eſt, idolis quoq; opponi Chriſtum. Et quidni id fateantur convicti locis I. Cor. X. 21 I Theſſ. I. 9. 10. Hunc Johannis locum excipiat Act. XX. 28. ubi ὁ θεος *Deus ſummus* dicitur *redemiſſe Eccleſiam ſuam*. Dices: intelligi hic Patrem. Reſp. Deo ſummo redemptori attribui ſanguinem, & quidem proprium. Inſtabis: Patri attribui ſanguinem Chriſti, quia Chriſtus totus, quantus quantus eſt, fuit Patris, filius Patris, ſervus Domini. Reſp. Planè à recepto uſu loquendi abhorrere hanc gloſſam: nemo enim unquam ſanguinem filij aut ſervi, Patris aut domini proprium eſſe dixit. Conf. Heb. IX. 12. Adde Matth. I. 21. ubi Chriſtus dicitur μεθ' ἡμῶν ὁ θεὸς: item caput primum Ep. ad Heb. E. ubi expreſſe Chriſtus dicitur ὁ θεὸς: quem locum de Chriſto intelligendum eſſe fatetur Crellius Col. 72. Adde & locum I. Tim. III. 16. ubi Chriſtus manifeſtatus in carne dicitur Deus, ſubjectivè poſitus h. e. ſummus. Quæ contra hunc locũ excipiunt, vindicabimus Exercit: ſequenti D. V. Deniq;

idem

idem evincit I. Tit. II. 13. ubi Christus dicitur ὁ μέγας θεὸς (Confer. Jud. 4. 25. ubi ὁ μόνος δεσπότης θεὸς &c. μόνος σοφὸς θεὸς &c.) Dices: magnum Deum hic dici Patrem, à quo distinguatur per particulam copulativam filius. Resp. Contextus loquitur, intelligi hic filium, cui attribuitur ἐπιφάνεια τῆς δόξης sive gloriosa apparitio opposita adventui Christi primo in carnem, de quo præcesserat v. 11. Quod dicitur de copulativa, illud parum habet roboris. Non enim divelluntur, sed conjunguntur eodem modo, quo Deum & Patrem conjungit Paulus Eph. I. 3. I. Thess. III. 11. *Ipse vero DEUS & Pater noster & Dominus noster Jesus Christus* &c. Huc pertinet Joh. XX. 28. ubi Thomas ad Christum ait: ὁ κύριος μου καὶ ὁ θεὸς μου. Quem locum ita explicat Enjedinus: *Terrore & stupore plenus & extra se quasi raptus, more hominibus consueto: Dominus meus & Deus meus, ait Thomas: quibus quidem verbis non Christum compellat, nec eum dominum & Deum suum vocat: sed rem inusitatam & admirationem suam summam significat: sicuti cum repente aliquid sive horrendum sive admirabile nonnullis occurrit, exclamant: Jesus Maria.* Quid ad hæc Smalcius? Ille vero in refut. thesium Frantz. de caus. peccat. disp. 12. *Explicationem*, inquit, *Enjedini nos pro ineptissima habemus.* Merito. Non enim hic exclamat Thomas, sed respondet, sed credit. Locis hactenus adductis finem imponat Marc. XII. 29. ubi Christus primum omnium mandatorum esse dicit: Ἄκουε Ἰσραὴλ, κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, κύριος εἷς ἐστι: quis sit autem ille εἷς κύριος, exprimitur I. Cor. IIX. 6.

§. 6. Accedunt illa scripturæ testimonia, quibus attributa soli summo DEO propria Christo vendicantur, inter quæ eminent æternitas & omnipotentia, & quæ ab hac sola profici sci queunt, opera. Ea de re luculenter testatur Johannes cap. I. 1. seqq quem locum Exercitatione sequenti, DEO volente, ab exceptionibus adversariorum vindicabimus. Nunc videamus locum Apoc. I. 11 & 17. cap. XXII. 13. Hic Christus *primus & ultimus* salutatur, item *principium & finis*. Atqui hæc sunt epitheta soli Deo summo propria. *Ego*, inquit Jehovah, *sum primus & ego ultimus, ac præter me nullus est DEUS* Esa. XLIV. 1. XLIIX. 12. Dices, Christum est primum qui ex mortuis resurrexerit. Sed quorsum ergo ultimus additur? Nam profecto ultimus ex mortuis nullo modo est Christus. Dices, hæc verba non esse absolutè intelligenda, sicut nec apud Esaiam absolutè intelliguntur. Hic enim propterea primum & ultimum voca-

ri, quia ipse solus sibi formaverit & elegerit populum Israelis, multisq; beneficiis affecerit ac tutatus fuerit, & deinceps perpetuò curaturus & conservaturus erat: sic etiam Christum se vocare primum & ultimum, non quia omnium rerum principium sit & finis: sed quia æternæ salutis inchoator & perfector sit, Ecclesiam auspicatus fuerit, eandemq; finiturus, primus consequendæ immortalitatis rationem mundo patefecerit, nec post eum quisquam sit extiturus. Respondeo, verba sat multa me audire, rationem verborum nullam. Esaiam qui expendit, videt, Deum hic comparare se cum idolis, quæ negat esse Deum, negat ullarum virium esse: ipse autem de se prædicat v. 19. quod sit omnipotens, quod *extendat cælos solus, extendat terram per seipsum*: & cap. XLIIX. adhuc clarius ostenditur, quid sibi velit hoc sermonis genere DEUS, cum v. 3. subjicit: *etiam manus mea fundavit terram, & dextera mea palmus expandit cælos: me vocante ea consistunt pariter.* Unde patet in Esaia denotari Dei æternitatem & primam omnium rerum creationem. De Christo autem quod dicunt, parum cum hypothesi Socinianorum convenit. Pertinaciter enim negant Christum salutis æternæ primam causam esse. Quod autem primus rationem consequendæ salutis ostenderit sensu adversariorum, qui eum ψιλὸν ἄνθρωπον esse volunt, id falsum est, sicut liquidum est ex collatione Gen. XXII. 18. & Gal. III. 8. Quin omnes prophetæ annunciarunt rationem consequendæ per Christum benedictionis divinæ Act. III. 24. seqq. X. 43. I. Pet. I. 10. Consequitur ergo, Christum esse absolutè α & ω primum & ultimum, principium & finem, adeoq; esse Deum æternum, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

§. 7. Eandem æternitatem, creationem primævam per Christum factam & conservationem creaturarum, quæ creationis primæ quædam veluti continuatio est, evidenter probant loca Ebr. I. 10. seqq. Coloss. I. 16. 17. Ebr. I. 2. 3. Quæ loca totidem sunt argumenta eademq; invicta summæ Deitatis JEsu Christi. Primus locus sic habet: *Tu in initio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut vestimentum veterascent, ac velut amictum circumvolves eos. Ipsi mutabuntur, tu autem sicut es, eris & anni tui non deficient.* Quod hi versiculi ad Christum pertineant, patet ex vers. 8. τὸ πρὸς versus 10. connectit duo testimonia ex distinctis Psalmis citata, pariter ac fit Act. I. 20. ubi idem πρὸς connectit duo testimonia Psalmistæ, quorum alterū est petitum ex Psalmo LXIX. 26. alterum ex Psalmo CIX. 8.

Hic

Hic multa excipiunt, potissimum hæc: non ideò hæc verba ab Apostolo ad Christum referri, quod ad ipsum propriè pertinerent, vel quod omnia ad Christum spectent, sed quia prophetiam continent ad Messiæ tempora spectantem, videlicet abolitionem cæli & terræ, quæ non minus Christo, quàm ipsi DEO convenit &c. morem esse Apostolorum, citare ex Prophetis & Psalmis integrum testimonium, cum tamen vix unum & alterum verbum ad propositum pertineat &c. accommodari hæc & similia loca ad Christum sed non accommodari tanquam ad summum vel altissimum Deum, sed ad eum, qui summo Deo vel similis, vel in iis, de quibus dicta talia agunt, ab ipso dependeat, illiusq; sustineat personam. Sed respondeo: talia non debebant dici tantum, verum etiam probari adductis idoneis exemplis, quod adversariis factu impossibile erit. Præterea impingit quàm maximè hæc interpretatio in media bonæ interpretationis. Oratio Apostoli est cohærens, adversarij eandem efficiunt planè disruptam & dissociatam, quando dicunt, hæc verba: *Tu Domine terram fundasti*, pertinere ad DEUM Patrem; *ipsi peribunt* ad Deum filium; *tu autem permanes*, ad Deum Patrem; *omnes sicut vestimentum veterascent*, ad Deum filium, per quem dicunt abolendam esse terram & cælum; rursum *tu autem idem es, & anni tui non deficient* ad Deum Patrem. Quænam hæc interpretatio est? quod autem concedunt per Christum esse abolendam terram & cælum, inde firmiter concludimus, Christum esse summum & omnipotentem Deum, creatorem cæli & terræ: ejusdem quippe omnipotentiæ est rem annihilare, cujus fuit creare. Deniq, urgemus scopum Pauli, qui est ostendere, Christum infinitis modis esse præstantiorem angelis. Quod si talia dicta non competunt Christo tanquam summo Deo, sed tantum tanquam Patris legato, utiq; nulla est Christi prærogativa præ Angelis. Nam & Angelis quæ sunt propria Dei tribui tanquam Legatis Sociniani modis maximis contendunt. Crellij lib. de DEO & attributis div. col. 97. hæc verba sunt: *Angeli cum in se ipsis spectantur, à Jehovah ut ministri à Domino, ut nuncij à mittente distinguuntur. Sed nonnunquam DEO ita volente DEI ipsius personam assumunt, & tunc quodvis ipsius nomen & ipsi sibi tribuunt, & ab aliis sibi tribui patiuntur. Non secus enim se gerunt ac loquuntur, ac si ipsemet adesset DEUS non alia procul dubio de causa, quam ut tantò plus autoritatis habeat res & oratio, & in auditorum animos altius descendat. In dramaticis similia quodammodo cernimus* &c.

§. 8. Alter locus est ad Col. I. 16, 17. ubi dicuntur *per Christum condita esse omnia quæ in cælis sunt, & quæ in terra, visibilia & invisibilia.* &c. Hic urgemus τὰ πάντα, quæ vox ter est posita absolutè, & ne scrupulus supereſſet, explicat Apostolus omnia per visibilia & invisibilia. Dices, per Christum dici condita, non autem Christum condidisse. Sed hæc æquipollent Rom. XI. 36. Dicunt adversarij, intelligi hic quædam, angelos scilicet & homines. Sed quivis videt, Angelos & homines non esse omnia in cælo & in terra, non esse visibilia & invisibilia. Deinde urgemus vocem ἐκτίσθη, quæ ad eum modum v. 16. est accipienda quo accipitur v. 15. πάσης κτίσεως, hic autem notat creationem primam: tum quia absolute hic ponitur, absolute est etiam accipienda. Quin etsi creationem secundam notaret, quod tamen minimè conceditur, tamen & inde omnipotentia Christi satis aperte reluceret: ejusdem enim virtutis est regenerare & creare. Nimis ridiculi sunt adversarij, cũ in hâc voce nescio quas hominum & angelorum reformationes confingunt, statuuntq; vocem creationis hic denotare respectu angelorum mutationem quandam dignitatum angelicarum, respectu verò hominum quandam renovationem & reformationem, ita ut factus sit Christus caput angelorum & hominum. Verum contra bonam interpretationem est, uni voci semel tantum positæ significationem diversam attribuere, nec possunt adversarij ullum locum vel ex profanis vel ex Sacris Scriptoribus adducere, ubi ad illum modum vox κτίζεσθαι capiatur. Et urgemus voces visibilia & invisibilia, quæ nomina naturæ sunt, non officij. Quin etiam in Veteri Testamento renovatos homines fuisse patet ex Ezech. XXXVI. 26. Psalm. LI. 12. Tandem conferimus locum Heb. I. 2. ubi dicitur, *quod* DEUS *per Christum* τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν, ubi notanda est vox αἰῶνας, significans quicquid usquam extitit, exstat & extabit: notanda vox ποιεῖν, quæ creaturis addita semper denotat creationem primam. Adversariorum interpretatio, qua dicunt, αἰῶνας ἐποίησεν, idem esse ac beatam immortalitatem revelavit, impudens est & sine exemplo. Supersunt loca Col. I. 17 & Heb. I. 3. de conservatione, quæ non minus quàm creatio causæ primæ causalitas est, loquentia. In priori loco dicitur, quod *in Christo omnia subsistant.* Hic urgemus & τὰ πάντα & συνέστηκεν. Dices: hic non esse sermonem de conservatione substantiæ rerum ipsarum, sed de conservatione illius status, in quem homines & angeli

per

per Christum sunt perducti. Verum homines & angeli non sunt omnia in cælo & in terra: nec vox συνέσχηκεν ad qualitates, sed ad substantiam pertinet, idemq; hic dicitur, quod Act. XVII 28. *In ipso vivimus, movemur & sumus.* In posteriori dicitur Christus *omnia portare verbo potentiæ suæ.* Nec est quod dicas, φέρων hic idem esse ac moderans: hoc enim nondum exhaurit vim & pondus φορᾶς. De Rege Galliæ dici potest, quod Galliam moderetur, non autem quod Galliam portet verbo potentiæ suæ.

§. 9. Restant alia, quæ omnipotentiam Christi demonstrant. Inter quæ eminent miracula, in quibus familiam ducit Christi resurrectio, quâ propria virtute semetipsum à mortuis resuscitavit. Dices: miracula Christum patrasse, non virtute propria, sed à Patre sibi concessa. Resp. omninò datam illam Christo homini, quod tamen fieri non potuisset, nisi eadem ab æterno per generationem communicata fuisset cum filio: Et hoc modo dicitur Christo data πᾶσα ἐξουσία in cælo & in terra Matth. XXIIX. 18. Quod si autem virtute aliena patrasset miracula, tum nec ipse potestatem faciendi aliis dare potuisset, quod tamen facit Matt. X. 1. nec discrimen esset inter virtutem, quâ Christus & Apostoli miracula patrarunt, quod & falsum est & scripturæ advertantissimum, testanti, virtutem miraculorum effectricem à Christo egressam Luc. VIII. 46. Quod autem Christus semetipsum excitaverit à mortuis, probatur Joh. II. 19. Joh. X. 18. In priori loco dicit Christus, *se excitaturum templum corporis sui morte dissolutum* Dices: Christum à Deo excitatum, corpus suum erexisse & suscitasse ex mortuis. Respondeo repugnare hanc glossam phrasi, erigam: unde consequitur aliud quid in Christo esse præterquam animam & corpus, nimirum illud, quod animam & corpus dirempta de novo univit. Repugnat etiam contextui: Judæis enim petentibus signum vel miraculum ita respondet Christus: nullum autem est miraculum, si obtineat glossa Socinianorum. Quid enim miraculi factum est à Lazaro, cum excitatus à Christo surgeret? Posterior locus adhuc evidentior est. *Nemo* inquit Christus, *tollit animam meam à me, sed ego depono eam per me ipsum: potestatem habeo deponendi eam & potestatem habeo rursus eam assumendi* Dices: eandem hic esse phrasin, quæ est Joh I. 12. ubi dicitur *data esse credentibus potestas, ut filij DEI fierent.* Sic & Marci VIII. 35. *homo* dicitur *se vivificare posse* ut Syrus habet. Resp. diversas esse locutiones: locus quippe Joh. X. expresse agit de potestate

activa, locus autem Joh. I. de potestate passiva. Neq; dicitur homo vivificare se posse sed σῶσαι: quin etsi hoc diceretur, ut fit Luc. XVII. 33. non posset id præstare per semetipsum. Et in primis notetur locus Joh. V. 19. Quæcunq; facit Pater, eadem ὁμοίως facit filius, non dicit: τούτοις ὅμοια ποιεῖ, sed ταῦτα ὁμοίως ποιεῖ.

§. 10. Postquam satis de æternitate & omnipotentia egimus, sequitur ut alia ponderemus attributa, quæ non minus momenti habent ad confirmandam summam Christi Deitatem. Ea sunt, omniscientia, & dignitas recipiendi invocationem religiosam. De omniscientia abundè testantur loca Joh. II. 25. VI. 64. XXI. 17. &c. De invocatione religiosa notamus, hanc soli Deo esse propriam, ut patet ex Deut. VI. 13, X. 20. Dices: hoc mandatum tantum pertinere ad V. T. sed tenendum est, loca hæc V. T. etiam in N. citari à Christo, Matth. IV. 10. Et ad solum V. T. talia non pertinere indicio manifesto est, quod reprehendit Gal. IV. 8. Paulus Galatas servientes iis, qui non sunt natura Deus. Unde conficitur, eum qui servit ei, qui non est natura Deus, esse reprehendendum. Etenim *Dii, qui non fecerunt cælum & terram eradicabuntur* Jer. X. 11. Atqui omnes Sociniani serviunt Christo, quem negant natura esse DEUM, quem negant fecisse cælum & terram, quod est auditu horrendum. Operæ pretium erit, audire, quænam sit Socinianorum de invocatione Christi sententia. Volkel. col. 222. invocationem Christi adiaphoram esse dicit, & asserit, *jure quidem nos invocare Christum semper posse, at non semper ad id faciendum astringi.* Ubi notetur contradictio, jure posse, nec adstringi, Socinus ep. 2. ad Niemojevium p. 284. hæc verba habet: *Dico igitur fieri posse, ut quis preces suas ad Christum nunquam direxerit, & tamen nec ideo peccarit, & nihilominus salutem per eundem Christum consequatur, quippe cui nunquam contigerit, ullam ex illis causis habere, quas suprà attigi, animo preces suas ad Christum dirigendi.* Dixerat autem p. 175. occasionem Christi invocandi sine dubio esse, *cum quis in aliqua necessitate est constitutus, divina ope indigeat?* His Socinianorum commentis opponimus loca classica tria Joh. V. 23. *Qui filium non honorat, is nec Patrem honorat.* I Joh. II. 23. *Quisquis negat filium nec Patrem habet* & Joh. XIV. 6. *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Consequens ergò est, invocationem Christi esse simpliciter & absolutè necessariam. Cæterum invocandum esse Christum constat tum ex Rom. X. 13. c. XIV. 11. Es. XLV. 23. Phil. II. 10. Heb. I. 6. tum ex formula baptismi Matth.

XXIIX.

XXIIX 19 Nec est quod excipiant, hanc formulam ab Athanasianis ὁμοούσιανis esse inferiam. Nam hæc formula baptismi legitur ab Ignatio ep. ad Philadelphios & apud Tertullianum adversus Praxeam, quorum ille 200 annis, alter 100. & quod excurrit ante Athanasium vixerunt. Concedit Volkel. col. 444 *nomen* sive vocem nominis *denotare personam*, sed excipit, *hic elegantiæ haberi rationem, quæ supervacaneas ejusdem vocis repetitiones respuat, adeoq; vocem nominis competere saltem Patri & Filio, non autem spiritui Sancto.* Ratio: *quia Sp. S. non est persona.* Resp. de personalitate Sp. S. mox dicetur. Photinianorum autem elumbe potuisse unà cum omnibus elegantiis nobis minimè satisfacit, quibus alio argumento opus est ad stabiliendam fidem; ad rationem dicimus eam esse petitionem principij. Sed regerit: *non posse divinitatem summam Filij & Sp. S. ex hoc loco colligi, cum teste scriptura homines etiam in Mosem & Johannem Baptistam fuerint baptizati.* Resp. malè comparari diversas locutiones: nusquam enim dicuntur in nomine Mosis aut Johannis baptizati. Tandem excipit Volkel. *filium hic adjungi summo DEO & Spir. Sancto, cum tamen ille nec persona nec summus Deus sit sed velut socios quosdã, pari modo ac Jud. VII. 18. Gedeon & Jehovah conjunguntur.* Resp esse diversitatem. In loco Judicum agi de temporali, in nostro de æterna salute; in quâ homini conferenda idem est nomen Patris, Filij & Sp. S. h. e. eadem authoritate operantur hæ tres personæ, omnem societatem excludentes.

§. II. Progredimur ad thesin tertiam. *Christus est filius Dei ab æterno à Patre genitus.* Negant id Photiniani, & complures comminiscuntur causas, cur Christus dicatur filius DEI, ut sunt conceptio ê Spir. S, baptismus & regeneratio ex aqua & Sp. segregatio ad munus sanctissimum, & missio in mundum, similitudo cum Deo ratione qualitatum divinarum, sanctitatis, potentiæ, sapientiæ; amor DEI paternus erga Christum, jus ad hæreditatem Patris sui cælestis adeundam: officium Christi propheticum: resuscitatio Christi ex mortuis. immortalis natura: potestas divina super omnia; regia Christi dignitas: summum Christi sacerdotium: & denominatio filiorum DEI à Christo &c. Nos omnibus his commentis rejectis orthodoxiam nostram probamus cùm ex V. tum ex N. T. Quanquam sufficere posset id, quod ubivis legitur, Christum esse filium DEI. quâ enim ratione Christus est filius hominis, hoc est, ex homine natus, & verus homo, eadem ratione est filius DEI, hoc est à DEO

genitus

genitus & verus natura DEUS. Ute nim se habet hominis filius ad naturam humanam, ita Dei filius ad naturam divinam, & oppositorum est opposita ratio. Quod autem dilectio singularis, similitudo, sanctitas, potestas &c. esse nequeant filiationis hujus fundamentum, rem paulò diligentius consideranti manifestum est. Nam si ex dilectione aut similitudine esset, uterq; diligentium & similium sibi esset filius: uterq; enim diligit, uterq; similis est. Si verò sanctitas fundamentum filiationis esset, etiam angeli essent tales filij, quod est contra Apostolũ; *Cui angelorum dixit, ego hodie genui te.* Deniq; nec potestas facere filium Dei potest: quia aut erit potestas hæc à Deo summo distincta, aut non. Si non, tum sequitur, quod volumus: Si distincta, sequitur vel utrumq; potentia esse terminatum, & sic neutrum esse summum, infinitum, & omnipotentem Deum; vel duos esse summos Deos, quod est contra scripturam & rationem. His adde, quod filiatio non recipit magis & minus: neq; enim David magis erat filius Isai cum Rex fieret, quàm antea Ex V. T. producimus Psalmum II. 7. Prov. IIX. 22. seqq. Mich. V. 2. Ad Psal. 2. dicunt loqui eum de Davide. Resp. simpliciter negando. Agere enim totum Psalmum de Christo, patet tum ex initio Psalmi, quod impletum est. Act. IV. 25. tum ex medio, ubi Rex in Sion Ebr. XII. 22. constituitur, cui dandi sunt fines terræ &c. Vid Act. XIII. 33. Heb I 5. c. V. 5. tum ex fine, ubi fit mentio τῦ confidere, quæ in Davidem non quadrant. Dices illa verba: *Tu es filius meus, ego hodie genui te*, applicari ad resurrectionem & glorificationem Christi, unde consequitur Christum esse filium Dei propter glorificationem & resurrectionem: Resp. Ad Heb. I. 5. nullam fieri mentionem resurrectionis, in aliis fieri quandam applicationem, quæ quomodo intelligenda sint optimè explicat Paulus Rom. I. 4 Christum esse declaratum filium DEI per resurrectionem: dum enim non aliena sed sua virtute resurrexit, manifestum fecit, se summum Deum esse & omnipotentem, æternumq; DEI filium. Quomodo Proverb. XVII. 17. amicus dicitur nasci in die malo h. e. declarari: quomodo item stellæ tum oriri dicuntur, cum apparent. Tandem excipiunt, non dici ab æterno Christum genitum, sed hodie. Resp. 1. sufficit tum, cum hæc David proferret, jam esse genitum. 2. τὸ hodie non posse de instanti temporis Physici accipi, quia dicunt Photiniani, hanc scripturam impletam, cum resurgeret, & glorificaretur filius DEI: sed hæc duo eodem temporis momento non sunt facta. Nam XL. dies interceserunt. Tandem 3. rectè

κτὲ τὸ hodie à noſtratibus explicati per perpetuitatem & perennitatem, patet ex Matth. VI. 11. Heb. III. 7. Hinc Auguſtinus rectè ep. 47. ait. *Semper gignit Pater, ſemper naſcitur filius*; æternitas enim excludit præteritum & futurum, h. e. omnem partium temporis Phyſici ſucceſſionem. Ad locum Prov. IIX. melius intelligendum, primò oſtendendum venit, quid intelligatur per ſapientiam. Non poſſe intelligi DEI proprietatem, patet inde; quia varia attribuuntur huic ſapientiæ, quæ nonniſi à perſona poſſunt proficiſci v. g. quod dicatur *jam concepta & genita*, quod dicatur *clamare, vocem* edere: neq; creatura intelligi poteſt, dicitur enim fuiſſe ante omnia opera Dei, ante ullum tempus, ante *principium pulvi[illegible]culorum orbis terræ, cum nondum creata erat terra*, & *nondum erant abyſſi*, quæ eſt periphraſis æternitatis. Relinquitur ergo intelligi filium Dei, qui eſt חכמות ſapientia ſapientiarum, Dei ſapientia. I. Cor. I. 30. Conf. Matth. XXIII. 24. cum Luc. XI. 49. Et in hanc ſapientiam optimè quadrant attributa illa, inprimis ח לָלְתִי Dices: Sic contradici Eſaiæ c. 42. 2. ubi prædicitur Meſſias non clamaturus Reſp. Quanquam gloriantium clamor de Chriſto negetur, non tamen poſſe omnem ei clamorem adimi. Joh. VII. 28, 37. Dices, de prædeſtinatione eſſe contextum intelligendum. Reſp. Reclamare ἔμφασιν verborum. *Genita ſum: jam eram, Lætificans coram eo omni tempore* &c. Deniq; ad locum Mich. dicunt, hujus loci hanc eſſe ſententiam, Chriſtum familiam ducere ex antiqua familia Davidis. Reſp. monſtrent, ſi viri ſunt adverſarij, ullum authorem ſive ſacrum, ſive profanum, qui ad eum modum acceperit phraſin illam, Egreſſiones ejus ab antiquo, à diebus æternitatis. Nos abſolutam æternitatem denotari hac geminatione, cum dicitur Ab initio: & adjungitur: à diebus ſeculi, perſuaſiſſimi ſumus. Vide Habacuc. I. 12. Cæterum voce egreſſionum indicatur generatio admirabilis & eminentiſſima ab æterno facta, ex idiotiſmo linguæ Hebrææ, de quo videatur Glaſſius Philol. Sacræ lib. III. p. 83. Conf. Gen. XV. cap. v. 4. II. Sam. VII. 12. II. Reg. XX. 18. &c.

§. 12. Ex N. T. afferimus Matth. XXVI. v. 64. Joh. I. 14. Col. I. 15. Rom. IIX. 31. Phil. II. v. 6 ſeqq. In loco Matthæi citato interrogatur Chriſtus à Caipha: an eſſet filius Dei benedicti, & reſp. Chriſtus: (utiq; ad mentem Cajphæ, à quo juridicè interrogabatur) *Tu dixiſti*: aut ut eſt apud Marc. XIV. 61. *Ego ſum*. Quod ſi autem Chriſtus non alia ratione fuiſſet filius Dei, quàm fingunt Photiniani, utiq; Pontifex ſummus

Christi responsionem non censuisset blasphemam? facile enim intelligebat, Christum se affirmate Dei filium, Deo Patri æqualem, de quo vide Joh. V. 17. 18. Dices, contra rationem hoc esse, Deum Patrem habere filium Resp. rationem vel intelligi abstractè, vel concretè. Concretè, intelligendo rationem puta Socinianorum, Muhametanorum, facilè concedo esse contra ipsorum insanam rationem. Interim abstractè rationem sanam considerando nego. In loco Johannis expresse dicitur Christus μονογενὴς παρὰ πατρός. Volkel. col. 478. *unigeniti vocem* ait *eum propriè denotare, qui solus ex altero nascitur.* Hoc acceptamus, ita tamen, ut quæ habet Volkel. de generatione Physica, quæ est mutatio à non esse ad esse, ab hoc mysterio simpliciter excludamus. Dices: μονογενὴς hic idem esse ac ἀγαπητὸς seu dilectus. Resp. distingui à scriptura has voces in filiis Dei. Nam & nos passim dicimur ἀγαπητοὶ dilecti, nuspiam autem μονογενεῖς. Exemplum Isaaci impertinens est: revera enim fuit unigenitus respectu Matris suæ. Unde Christus notanter dicitur μονογενὴς παρὰ πατρός. Dices: apud Johannem appellari Christum quasi unigenitum Resp. hanc particulam non assimilare, sed exprimere. Hinc est, quod Joh. III 16. simpliciter & absolute vocatur filius unigenitus. Ad locum Col. I. 15. ubi Christus dicitur *primogenitus creaturæ*: excipiunt primò quidem, eum hoc ipso non excludi à creaturis, sed ad creaturam classem revocari: deinde vocem κτίσεως accipiendam de nova creatura. Sed hoc posterius suprà examinavimus. Et sequeretur inde, etiam Christum aliquando fuisse veterem creaturam, si omnis primogenitus est ex eorum numero quorum est primogenitus, quod est contrà Lucam I. 32. 35. Quid sit autem primogenitus omnis creaturæ, explicat Joh. in Apocal. III. 14. ubi ἀρχὴ habetur h. e. principium sive causa omnis creaturæ, per quam creata sunt omnia visibilia & invisibilia, ut loquitur loco citato Paulus, qui si in classe creaturarum collocare Christum voluisset, utiq; non πρωτότοκος, sed πρωτόκτιστος dixisset. Opponunt quidem simile, ut putant phrasin, cum dicitur Christus primogenitus ex mortuis: sed quivis facile animadvertit dissimilem constructionem esse: primogenitus enim ex mortuis dicitur præstantissimus inter omnes mortuos, deducta phrasi à primogenitorum in V. T. præ aliis fratribus præstantia nota. Ad locum Rom. VIII. v. 31. ubi dicitur εἷς θεὸς excipiunt proprium hic oppo-

ni

ni alieno, non adoptivo, adeoq; idem esse ac suum, ut cum dicimus, proprius Dominus, proprius pastor, ager, liber; Sed palpabilis hæc est Sophistica: non enim quæritur de voce proprius absolutè, simpliciter & sine addito posita, quam opponi alieno notissimum est: quæstio erat de proprio filio, qui non opponitur nisi adoptivo. Eo autem ipso dum Photiniani contendunt, Christum esse filium Dei adoptivum, in numerum filiorum κοινῶν referunt, à quibus toto cælo distincti ἰγὸι ἴδιοι. Adde, si Christus eo modo dicitur proprius filius, tum sequitur eum non esse solum filium proprium: Omnes enim filij DEI, etiam aselij & adoptivi alieni non sunt, sed Dei. Superest locus Phil. II. 6. exercitatione sequenti, Deo volente excutiendus.

§. 13. Hactenus de secunda personâ Trinitatis egimus, nunc breviter aliquid de tertia addendum. Hic duæ quæstiones occurrunt 1. *an Sp. S. sit summus Deus.* 2. *an sit persona.* Nos posteriorem primo loco proponemus, ne incurramus reprehensionem adversariorum nostrorum. Smalcius contra disput. de Sp. S. an. 1613. à Dn. D. Grawero Jenæ habitam p. 6. taxat Grawerum, *quod prius docere annitatur, Spiritum S. appellari Deum, quàm doceat eum esse personam. Nam si constat Spir. Sanctum esse personam, necessariò etiam constaret, eum esse Deum, sed non contrà.* Cæterum quid sit Sp. S. non est una Photinianorum sententia, nec sciri potest quid hic sibi velint tenebriones illi. Catechism. Racov. p. 109. *appellatione Sp. S. in scriptis N. T. dicit 1. Significari ipsum J. Christi Evangelium, & spem vitæ æternæ. 2. Significari donum hominibus datum &c.* Negat autem *Spiritum S. uspiam in Scripturâ vocari Deum.* Socinus ipse *Spiritum S. esse* dicit *virtutem Dei, quæ sit in Deo, de essentia & natura Dei, quæ sit proprietas & attributum essentiale Dei, ideoq; à parte rei esse ipsum Deum.* Crellius de Deo & attrib. qui præcedit alios Volkelij libros p. 158. & de uno vero Patre p. 397. dicit, *Spiritum S. proprie esse vim aliquam manantem à Dei potentia hominibus inspiratam, Distinguit enim inter potentiam in Deo naturaliter residentem, à qua emanat Sp. S. & inter vim illam seu efficaciam manantem ab illa potentia, quam propriè censet dici Spir. S. & Spir. Domini nempe facultates excitatas in hominibus, ut sunt facultas prophetandi, variis linguis loquendi, & dona spiritualia, virtus, dilectio, sobrietas, prudentia, spes vitæ æternæ &c. Has facultates, hæc dona spiritualia* dicit *effici à vi illa hominibus à Deo inspirata, quæ est Spir. S. procedens à potentia illa Dei & emanans, quando & quatenus vult.* Sed hæc

opinionum monstra facile jugulantur. Etenim Sp.S. est in Deo, in ejus nomen baptizamur, illo acti sunt sancti homines II Pet. I. 21. &c. & Evangelium, spes vitæ æternæ, dona hominibus concessa, non sunt talia, non sunt in Deo, sed à Deo, in eorum nomen non sumus baptizati, &c.

§. 14. Nostra ergo thesis ordine quarta hæc est. *Spir. S. est persona realiter à Patre & Filio distincta.* Hic præsupponimus: personam esse suppositum intelligens, sive personam esse quæ per se subsistit & prædita est intellectu & voluntate. Atqui Sp.S. 1 *intelligit* I. Cor. II. 10. 2. *vult* I. Cor. XII. 11. 3. *docet.* Matth. X. 20. 4. *cum fidelibus manet* Joh. XIV. 16. 5. *ducit in omnem veritatem* Joh. XVI 13. 6 *testatur de Christo* Joh. XV. 26. 7. *consolatur* Ibid: & *arguit mundum* Joh XVI. 18. 8. *agit* Rom. IIX. 14. 9 *obsignat* Eph IV 30. 10. *annunciat* Joh. XVI. 13. 11 *creat.* Psal. XXXIII. 6 12. *constituit Episcopos.* Act. XX XXIIX. 13 *apparet sub specie columbæ & venti* Matth. III. Act. II. 14. *ad iram provocatur* Eph. IV. 30. Esa, L XI II. 16. in quem 15. *blasphemia committitur* Matth. XII. 32. 16. *in cujus nomen baptizamur*, quiq; 17. ita conjungitur *Patri & Filio, ut ab utroq; sit alius*, Matth. XXIIX. 19 II. Cor. XIII 13 E. est persona à Patre & Filio realiter distincta. Excipiunt generaliter Photiniani, ascribi hæc Spir. Sancto per prosopopæiam, quomodo dicitur cælum enarrare gloriam Dei, lex arguere peccatum, occidere, &c. Resp. 1. fatemur scripturam sæpe per prosopopæiam tribuere ea rebus inanimis, quæ sunt animatorum propria, sed ex parte tantum, unum scilicet vel alterum personæ attributum: nuspiam autem rei inanimæ omnia personæ attributa tribuuntur, quemadmodum fieri Spiritui S audivimus 2. intelligere, loqui per prophetas. v. g. Es. VI. 9. 10. Act. XXVIII. 25. per Davidem II. Sam. 23. 2. in nomen alicujus baptizari, apparere in specie assumpta, alium esse à Patre & filio, talia sunt, quæ nuspiam rebus inanimatis tribuuntur. In specie adversus apparitionem in specie columbæ excipiunt, adverbium ὡσεὶ non pertinere ad vocalem columbam, sed ad vocalem καταβαίνειν, nec fuisse vulgarem columbam, sed singularem & miraculi plenam. Resp. hanc glossam pugnare cum Evangelistis, in primis autem cum Luca. In reliquis Evangelistis expressè connectitur cum columba. Lucas autem cap. III. expresse dicit, Spiritum S descendisse σωματικῷ εἴδει, in corporali specie, estq; oppositio inter πνεῦμα & corporalem speciem, in qua apparuit. An autem fuerit

vera

vera columba, an species & simulacrum columbæ, nihil attinet disquirere. Fuerit species assumpta. Ad locum I. Cor. 2. 10. excipiunt: cum Sp. S. dicitur scrutari, id intelligendum esse de illis hominibus, in quibus est Sp. S. Resp. expresse in textu distinguuntur Apostoli, aliiq; fideles, quibus fit revelatio, à Spir. S. qui hæc ipsa arcana & profunda scrutatur & revelat. 2. scrutari profunditates Dei, nullius hominis est, quantumvis illuminati. ἐκ μέρους enim intelligimus I Cor. XIII. 9. Ad locum Joh. XIV. 16. ubi dicitur Sp. S. alius, dicunt vocem alius impropriè capi, ut si quis Præceptor discessurus à discipulis dicat, alium magistrum vobis relinquam, egestatem. Resp. hæ contorsiones Scripturæ pari facilitate, quâ dicuntur, repudiantur. Adde textum ipsum, ubi præcedit τὸ πνεῦμα, & subjungitur ἄλλος καὶ ἐκεῖνος v. 26. Conf. Joh. XV. 26. quæ sunt certissima indicia personalitatis. videatur etiam Eph. I. 13. 14. ubi etiam occurrit ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι, ὅς ἐστιν ἀρραβὼν hac ratione nusquam Scriptura de non personis loquitur. dent si possunt exemplum.

§. 15. Excipiunt ad locum Es. CXIII. v. 10 ita dici Sp. S. contristari, sicut ad Ephes. I. 13 dicuntur Spiritu Sancto obsignati, neminem autem obsignari persona. Resp. omnino etiam id in Scriptura dici Joh. VI. 27. Cæterum cum obsignari Spiritu S. dicuntur, intelligendum id causaliter, quia ipse in nobis obsignat promissionem de adoptione nostra, quod ipsum tantum abest ut rationem personæ destruat, ut personam arguat potius. Hic notetur, tria pontissimum esse, quæ solent Photiniani contra personalitatem Sp. S. excipere 1 Sicut Spiritus hominis non distinguitur ab homine, ita nec Spir Dei à Deo. Resp si per Spiritum S. intelligunt naturale Dei attributum, consequitur, vanam esse exceptionem Socinianorum ex Joh VII. 39. Nondum erat Sp. S. Nam nunquam Deus naturali & essentiali attributo caruit. Si autem per Spir. S. intelligunt dona hominibus data v. g. miraculosa & extraordinaria, varietatis linguarum, qualia intelliguntur apud Johannem loco cit: illa omninò sunt à Deo distincta. 2 hæc exceptio Socinianorum est à simili, cum tamen notum sit omne simile esse dissimile, quanquam & hoc negari non possit Spiritum hominis differre ab homine: Utut enim totum à partibus non differat junctim sumtis, tamen à partibus differt seorsim sumptis realiter. 2. dicunt attribui Spir. S. quæ in personam non cadant

dant. v. g. cum dicitur effundi. Resp. hoc de donis Spiritus S. intelligendum, eorumq; copiosa distributione. 2. Si hoc argumentum valeret, nec Christus esset persona, quippe quem dicimur induere Gal. III. 27. qui dicitur in nobis formari Gal. IV. 19. habitare in cordibus nostris Eph. III. 3. Dicimur fieri participes divinæ naturæ, unde nec sequeretur Deum Patrem esse personam. 3. etiam hoc solent movere dubium Photiniani. Si Spir. S. esset persona Trinitatis, futurum; ut cum Pater & Fil: nominantur, etiam Sp. Sanctus nominetur. Resp: etsi hoc dubium explicari non possit, nihil tamen decederet fidei catholicæ. 2 quis necessitatem imponat Evangelistis & Apostolis semper faciendi mentionem Sp Sancti, præsertim cum adversarij fateantur, Sp Sanctum haud secus distingui à Deo, quàm Sp. humanum ab homine. Unde sequitur nominato Deo, censeri quoq; nominatum ejus esse Spiritum. 3. sæpe fit mentio Patris & Spir. non addito filio I. Cor. III. 16. Sæpe Filij & Sp. S. non addito Patre Rom. I X. 1. 3. Ergone concludetur Patrem & Filium non esse personas. 4. sufficit, quod alibi conjungantur tàm in V. quàm in N. T. Es. XLIII. 7. c. 9. Psal. XXXIII. 6, Matth. XXIIX, 19. II. Cor XIII. 13. I. Joh. V. 7. Gen. I. per totum caput.

§. 16. Tantum de thesi quarta: ad quintam progredimur, hanc nempe. *Sp S, est summus Deus à Patre & Filio procedens.* Catechesis Racov. thesin nostram negat, & præterea negat Spir. Sanctum uspiam in scripturis vocari Deum. Nos contra producimus locum II. Cor. III. 17. quem citans Philippus Melancton in locis Comm. loco de Sp. S. *Eodem*, inquit, *loco expresè dicit, Spiritum esse Dominum id est Deum. Nam cum inquit: Dominus est Spiritus: articulus tribuit nomini Spiritus locum & intellectum subjecti & sic Basilius eum locum citat.* Hactenus Philippus, cum quo confer tum ea, quæ habet Crellius de Deo & attributis divinis p. 102. seqq. tùm communem Photinianorum hypothesin, statuentium Deum non naturæ sed officij nomen esse. Deinde ex Act. V. 3. sic concludimus. Cui mentitus est Ananias, is est & dicitur in scripturis DEUS Spir. S. est is, cui mentitus est Ananias. E. Excipiunt Sp. Sanctum quidem expresè hoc loco non dici Deum, quia opus est aliqua argumentatione. Resp: argumentationem illam ex ipso textu evidentem esse, nullatenus autem obscuram, vel longè petitam. Adde, quæ supra dicta sunt de argumentatione, quod videlicet ea, quæ per validam consequentiam ex verbo Dei deducuntur, pari valore sint accipienda, ac si verbo-

tim

timextarent. Excipiunt 2. mentitum esse Spir. Sancto id eatenus esse intelligendum, quia Apostolis mentitus est, in quibus erat Spir. S. non quidem Deus sed Spir. Dei. Apostolos enim non nudos homines, sed divinos fuisse. Resp. hæc exceptio expresse refellitur v. 4. Non hominibus, sed Deo mentitus es. Excipiunt. 3. non dici Ananiam mentitum Sp. Sancto in casu dativo, sed in casu accusativo τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. mentiri autem Sp. Sanctum, dicunt idem esse, ac præ se ferre, quasi quis habeat Spir. Sanctum, aut, ut explicat Enjedinus, Christianismum; eo sensu quo apud Justinum Semiramis dicitur mentita esse sexum. Resp. 1. Inhæremus literæ. Nuspiam in scripturis dicitur ψεύδεσθαι fingere, seu velle se videri id quod non est: explicationem ergo contortam & inusitatam alio loco probent. 2. testatur Beza in aliquo codice manuscripto se repertisse particulam εἰς: cum hâc enim particula construitur particula ψεύδεσθαι Col. III. 6. Quicquid autem sit, sive legamus τὸ εἰς sive mn', nihil Hebræis usitatius est, quàm subintelligere suũ Lamed, nec mirum, λέξιν sive dictionem N. T. ἑβραΐζειν. Cæterum notamus, eandem rem hic esse, fallere & mentiri, contra adversarios, qui dicunt τὸ ψεύδεσθαι cum accusativo significare, fallere, cum dativo mentiri: mendacium siquidem non est sine intentione fallendi; qui ergo mentitur, etiam fallit. Neq; id prætermittendum est, quod expresse dicitur Ananiæ uxor πειρᾶσαι sive tentare Spir. S., id quod glossam Sociniano-rum plane evertit. Tentare enim est experiri aliquod Dei attributum, v. g. An Deus sit omniscius? an Spir. S sit omniscius, neq; hoc est, præ se ferre, quasi quis habeat Spir. Sanctum, sed illi Spiritui, qui corda & renes scrutatur, mentiri, fallere vellere Sp. omniscium. Præterea ex 1 Cor. VI. 19. sic argumentamur. Cujus templa sunt Christiani, ille est summus Deus. Atqui Sp. S. est is, cujus templa sunt. &c. E. Excipiunt per Sp. S non posse intelligi Deum, quia dicitur loco citato, eum haberi à Deo. 2. nuspiam dici glorificari ab hominibus debere Sp. S. Resp. de glorificatione mox aliquid dicendum est: quod autem prius attinet, ineptum est. Nam & filium dicimur habere à Deo Patre. Es. IX 6. Joh. III. 16. It. IV. 10. Rom. IX. 32. qui tamen passim Deus dicitur, ut Photiniani fatentur; estq; utrumq; verum, & Spir. S. esse summum Deum, & dari etiam à Deo Patre. Tandem inde quoq; Sp. S. summam Deitatem evincimus, quod nomen Dei essentiale, quod Dei summi attributa, puta

ta omniscientia, omnipotentia, omnipræsentia; quod operationes summo Deo propriæ puta creationis, resuscitationis; quod cultus & gloria summo Deo debita passim *Spiritui S.* attribuatur, ut patet ex inspectione & collatione locorum Es. VI. 3. Act. XXVIII. 25, 26. I. Cor. X. 10. Ps. CXXXIX. 7. Jobi XXXIII. 4. Rom. IX. 11. Matt. XII. 31. Matt. XXVIII. 19. Rom. IX. 1. II. Cor. XIII. 13. Priusquam hinc abeamus, de processione Spir. S. aliquid addendum est. Procedere Sp. Sanctum à Patre nullum est dubium; processionem ejus à Filio inde probamus, quod ipsius Spir. esse dicitur. Neq; enim aliam ob causam dicitur Sp. Patris Matth. X. 20. quàm quod ab ipso procedit. Accedit quod Paulus I. Cor. II. 11. 12. esse *Spir.* Dei, & esse Spiritum ex Deo pro æquipollentibus habet. Esse autem Spir. S. etiam Spir. Filij clarum est ex Rom. VIII. 10. Gal IV. 6. I. Pet. I. II. Videantur etiam illa loca, quæ indicant Filium mittere *Spir. S.* Joh. XV. 26. Joh XIV. 16. ex quibus haud obscurè colligitur *Sp. S.* à Filio quoq; processio.

§ 17. Ex iis quæ hactenus disputata sunt clarè evincitur, Deum essentia unum in tribus realiter distinctis personis subsistere, quæ sunt Pater, Filius & *Sp. S.* De Patre nullum est dubium, ut & de Filij personalitate: impugnatur ejus summa Deitas una cum summa Deitate pariter & personalitate *Sp. Sancti*, quæ ipsa hactenus evidentibus argumentis demonstrata sunt. Cæterum notandum hic de nominibus personarum, &c. non esse controversiam, sicut ipse Crellius concedit de uno Deo Patre. num. 497 Fides enim nostra de trinitate sarta tecta est, sive dicantur, sive non dicantur tres personæ unius essentiæ, modò serio credatur, Patrem, Filium & *Sp. S.* esse unum summum Deum, ita tamen, ut Pater non sit Filius, sed alius à Filio, & *Sp. S* sit alius ab utroq;. Constat quoq; de hoc mysterio non uniformiter semper Ecclesiam esse locutam, multosq; Patrum, qui rem ipsam admittebant, in nominibus fuisse dissentientes. Quemadmodum Athanasius, synodus Nicæna & Romana μίαν ὑπόστασιν dixit, & Patres synodi Sardicensis apud Theodoretum l. 2. c. 8. hæreticorum esse ajunt, dicere τρεῖς ὑποστάσεις (quod tamen nos dicimus) puta, non absolutè, sed ex mente hæreticorum intellectas, ὑποστάσεις κεχωρισμένας separatæ essentiæ. Post autem, ut excluderetur rixandi pervicacia, tantoq; commodius hæreses ex latibulis extraherentur, atq; proscriberentur ex Ecclesia, necessitate urgente constitutum est, ut dicerentur tres ὑποστάσεις vel personæ in una essentia divina. Præ-

clarè

clarè hac de re loquitur Augustinus l. V. de Trin. c. 9. *Tres utiq; sunt*, inquit, *ideoq; pluraliter dictum est: Ego & Pater unum sumus: non enim dixit, unum est, quod dicunt Sabelliani, qui non distinguunt. Sed unum sumus. Tamen cum quæritur, quid tres? magna prorsus inopia humanum laborat eloquium: dictum est tamen, tres personæ, non ut illud diceretur, sed* ne taceretur. Hæc Augustinus. Lutherus quoq; alicubi: *Quod si anima mea odit vocem ὁμόουσιος & nolim ea uti, non ero hæreticus, modò rem teneam quæ in concilio per scripturas definita est.* Si quis autem volet scire, quomodo Patres ante concilium Nicenum sint de hoc mysterio locuti, quamq; Ecclesiæ sequenti conformia docuerint, potest adire Instructiones Historico Theologicas Forbesij l. 1. ubi potiores quoq; hæreticos, qui hoc Trinitatis mysterium impugnarint, explicat, & præclara habet de controversia illa circa vocabula inter Catholicos exorta, & feliciter composita, deq; Tertulliani phrasibus contra Praxeam, allegato eleganti Tertulliani dicto, quod habet libro contra Praxeam cap. 3. *Malo te*, inquiens, *ad sensum rei, quàm ad sonum vocabuli exerceas* &c.

§ 18. Insuper & hoc notandum voces Ecclesiasticas Trinitatis, personæ, non posse novitatis accusari vel damnari. Nam quod attinet vocem τριάδος seu Trinitatis novam eam, aut inconvenientem huic mysterio, aut à scriptura alienam minimè judicabit, quisquis τὸ τρεῖς apud Johannem ep. I. c. V. 7. expendit. Vocem personæ nonnulli dicunt esse temere confictam, imò ambiguam. Verum ambigua ea esse non potest, quippe satis luculenta explicatione illustrata ab Orthodoxis; nec temerè conficta dici potest, quia Cicero in epist. ad famil. l. 3. ep. 5. Quintilianus instit. orator. l. 3. c. 4. l. 4 c. 1 l. 9. c. 2. &c. non tantum de hominis conditione & qualitate, sed de humano individuo personæ vocem usurpat. Unde nec Boetius primus illam vocem usurpavit, ante quem Tertullianus usus est hâc voce contra Praxeam c. 11. sic Latinè interpretatus Græcam ὑποστάσεως vocem, quæ non ἄγραφος est, sed ἔγγραφος, usurpata Apostolo Heb. I 3. ubi Filius Dei æternus splendor, de æterno lumine refulgens, in quo exprimitur proprietas paterna, sive patris ὑπόστασις Χαρακτηρίζεται: quippe mentionem facientibus Filij, necesse etiam est innotescere Patrem. οὐ γὰρ ἐστι δυνατὸν, υἱὸν ὀνομάσαντα, μὴ καὶ πατρὸς ἐν πεινοίᾳ γενέσθαι ut rectè Basilius habet. Dices, characterem. hypostasis Dei esse cognitionem perfectam divinæ perfectæ voluntatis. Sed character non est cognitio, ex vi vocis, quæ repræsentationem quàm similimam rei, à qua deducta

est, importat, cujus consequens est, ut nos ducat in cognitionem rei, quam notat. Porro ὑπόστασις ab ὑφίστασθαι nullibi vel in sacris vel in profanis authoribus est perfectio. Ubivis subsistentiam connotat, v. g. Ebr. III. 14. fides fundamentum est, quo subsistimus: cap. XI. 1. est ipsa subsistentia rerum quæ sperantur: cum enim nondum illæ sint, fides eas subsistere facit, hoc est, quasi præsentes sistit &c. Tantum de vocibus, quibus in hoc mysterio Ecclesia utitur. Cautè enim hic loquendum, & cum Ecclesia, quæ in Deo fatetur unitatem & distinctionem, fatetur ordinem personarum, earumq; discrimen: interim negat in Deo esse compositionem vel divisionem, vel diversitatem, vel differentiam propriè dictam, vel discrepantiam, vel dissimilitudinem, neq; in DEO admittit triplicitatem, solitudinem, confusionem personarum, nec Deum dicit singularem vel unicum, sed unum: *Patrem enim & Filium singularem Deum prædicare sacrilegum est*, inquit Athanasius. Porrò nomen unici vel solitarij non adhibet, ne tollat numerum, vel consortium 3. personarum. Sic non dicit: Pater genuit alium Deum, sed aliam personam. Videatur de his Forbesius lib. 1. c. 23.

§. 19. Est autem hoc mysterium non tantum in N. T. verum etiam in V. revelatum, sicut ex iis, quæ dicta hactenus sunt, clarum esse potest. Quò tamen ea tantò magis fiant perspicua operæ pretium erit, hoc ipsum paucis explicare. Prænotamus autem de V. T. quod habet Cl. Hunnius in Matth. c. III. p. 134 *Fuit*, inquit, *hoc mysterium Trinitatis etiam in V. T proditum, ut Gen. I. III. XIX. XXXV. Job XXIV. Psal. II. & XXXIII. sed illustrior ejus patefactio reservata est N. T. ubi una ex personis istis ad singulare aliquod mysterij opus prodire in mundum voluit, nempe per incarnationem, quæ facit, ut hic articulus in N. T. sit Christianis cognitu magis necessarius, quàm olim Patribus in V. T. Quia enim incarnationis λόγου cognitio ad æternam salutem omninò requiritur, id vero mysterium cognosci haud potest nisi discrimen personarum ostendatur, ne forte tota statuatur incarnata Trinitatis: hinc adeò fit, ut explicatam hujus articuli cognitionem Sp. S. in N. revelet.* Hactenus Hunnius, qui è V. T. citat loca Geneseos & Psalmorū ex quibus ad oculum patet, in una essentia divina esse quandam multitudinem. Dicitur enim. *Faciamus hominem ad imaginem nostram* &c. *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis* &c. Dices. Deum hic esse collocutum cum Angelis. Resp. Deus solus est creator, nec ullum habet in creando adjutorem, & ad imaginem Dei homo est conditus, non ad imaginem Angelorum. Conf.

Matth.

Matth. XIX. 4 Marc. X. 6. Joh. XXXIII. 4. Psal. CXLIX. 2. Es. LIV. 5. Regeres posse dici hominem creatum etiam ad imaginem angelorum, quia ipsi quoq; rationem habent & imperium. Resp. Non sufficit talia dicere, quæ debebant sufficienter probari. Si ibi colloquium narratur Dei cum angelis, & ad angelorum imaginem homo conditus est, quì fit, ut Moses in tota historia creationis angelorum ne leviſſimam quidem mentionem injiciat? Alii dicunt, loqui Deum de se ad similitudinem magnatum: Wir. Resp. hanc linguæ Hebrææ proprietatem non fuisse ignoraturos Hebræos, qui tamen de angelis sunt interpretati. Aben Esra in Gen. c. I. hanc enallagen numeri pluralis pro singulari una cum exemplis, quæ pro ea adduci solent, dicit esse falsos testes. Adde si Deus ita de se voluisset in plurali loqui, illud omninò factum fuisset in legis promulgatione.

§.20. Relinquitur ergò esse in divina essentia plures, id quod optimè illustrat & confirmat vox Elohim. Etenim cum sit numeri pluralis, habeatq; singulare Eloah, ejusdem rei significativum, sive propriè Deum significans Psal. XIIX, 32. CXXIV. 7. Deut. IV. 35. I. Reg. VIII. 60. dubium esse non debet, quin quandam innuat pluralitatem, unde est quod hoc ipsum nomen plurale modo construatur cum verbo, participio, vel adjectivo plurali, eiq; affigatur pro nomen plurale, modo in casu recto construatur cum verbo singulari. Idem dicendum videtur de אדני cum (ר) &c. Conf. Es. LIV. 5. ubi de eo, cujus nomen Jehovah exercituum in plurali dicitur, *conjuges tui, factores tui.* Sic unus Deus dicitur *Domini* Malach. I. 6. *Deus Sancti* Jos. XXIV. 19 quæ omnia satis apertè indicant pluralitatem. Cæterum quod plures illi in essentia divina sint tantum tres, ex historia creationis, ut & Psal. XXXIII. 6 clarum est, ubi expresè nominantur Jehovah, ejus Verbum, quod interprete Johanne Evangelista cap. 1. est Filius, & Sp. S. Ex Esaia idem manifestum est, cujus visio c. VI. descripta totius Trinitatis gloriam exhibet, sicut patet ex applicatione ad Filium facta Joh. XII. 41. & ad Spir. S. Act. XXIIX. 25. Adde cap. XLIIX. Es. v. 26. ubi fit mentio mittentis Patris, Spiritus, & missi Filij. Adde cap. LXIII 8, 9, 10. ubi exprimuntur Pater, Sp. S. & Angelus h. e. Christus. Dices, Christum in V. T. non vocari Angelum. At contrarium patet ex Mal. III. 1. ubi Dominus & Deus altissimus, Dei nempe Filius Luc. I. 76. cujus præcursor est Johannes, Angelus, & quidem cum addito, fœderis dicitur. Demum dices: Angelum faciei esse angelum creatum, Spiritum vero Sanctum virtutem

tem Dei. Resp: Angelum non posse esse creatum: nuspiam enim angelus creatus dicitur מַלְאַךְ פָּנָיו quiq; bajulavit Israelem omnibus diebus seculi, quod est Jehovæ proprium Es XLVI 3 Heb I. 3. talia autem sunt prædicata, qualia permittuntur à subjectis. Deinde Spiritum S. non esse virtutem inde pater, quia ei tribuitur actus non virtuti sed personæ proprius, nimirum, quod ipsum dolore affecerint, sive exacerbaverint Israelitæ. Confer. Heb. III. 8. seqq.

§ Ultima. Sed in N. T. clarius habemus expressam Trinitatem. Primum quidem in baptismo Christi, Matth. *III.* cum quo conferimus formulam baptismi nostri Matth. XXIIX. 19. Nomen autem alicujus, idem esse ac autoritatem patet ex Act. IV. 7. I Sam. XVII. 45. Porrò baptizari in nomen alicujus infert cultum & obsequium religiosum, adeoq; agnitionem ejus, in cujus nomen baptizamur, pro supremo Domino Ecclesiæ. Conf. I. Cor. I. 13. c. III. 5. 9. c. IV. 1. Dices. Solum Patrem esse summum authorem salutis, summumq; Ecclesiæ Dominum Resp: Etiam Filium esse summum authorem patet ex supra dictis. Adde Heb. XII. 2. ubi dicitur ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίστεως, &c. & Spir. Sanctum, sicut itidem patet ex supra dictis. Agmen locorum claudant II. Cor. XIII. 13. ubi habes gratiam Domini nostri J. Christi, charitatem Dei & communicationem Sp. Sancti: & I. Joh. V. 7. ubi Johannes, *Tres sunt, qui testificantur in cælo, Pater. Verbum, & Sp. S. & hi tres unum sunt.* Dices. hunc locum non legi in multis codicibus. Resp. Legi in codice Britannico teste Erasmo: item in editione Complutensi veteri & nova: imò in nonnullis Stephani libris vetustioribus: &, quod rei caput est, legi apud Cyprianum de unitate Ecclesiæ, & simplicitate prælatorum, legi item ab Athanasio I. I. ad Theophilum: legi ab Hieronymo in prologo epistolarum canonicarum, legi apud Socratem historiæ Eccles. I. 7. c. 32. Favet contextus. v. 8. ubi testimonium terrenum comparatur cum testimonio cæleſti, de quo præcesserat. Dices. intelligenda hæc esse de voluntatum conjunctione. Resp. contrarium demonstratur, tum ipsa phrasi ἓν εἰσι, tum collatione loci Joh. X. 30. *Unum sumus.* Quibus adde loca in quibus *Pater dicitur esse in Filio, & Filius in Patre* Joh. XIV. 9. 10. & Spir. Sancto in DEO I. Cor. II. 11.

EXERCITATIONUM ANTISOCINIANARUM
TERTIA
DE
INCARNATIONE FILII DEI, EJUSQUE OFFICIO PROPHETICO.

Quam,
DEO MODERATORE,
PRÆSIDE
DN. CASPARO MAURITIO,
SS. Theol. Doct. ejusdemq; P. P. & Eccles.
Academiæ h. t. Rectore,
Publicè defendendam suscipit
GREGORIUS MICHAEL,
Rostochiensis.
Habebitur ad d. XXVIII Decemb.
In Auditorio Majori.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, *Acad. Typogr.*
Anno M. DC. L.

41
1658

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

§. I.

AGendum nunc est de mysterio incarnationis, quod pari pertinacia adversarii Trinitatis impugnant. Verum nihil apud eos, qui de summa Jesu Christi Deitate ex sacrarum literarum testimoniis sunt per svasissimi, efficient: hac quippe admissa, ultro sequitur Incarnatio. Nam, quin naturam humanam habeat Christus, dubium nullum. Ut autem manifestior res tota fiat, novam concipiemus thesin, ejusq; confirmationem ex perspicuis Sacræ Scripturæ verbis, sicut inter nos convenit, Deo duce adornabimus. Thesis hæc est: *Christus, qui est summus* DEus, *homo factus est.* Pro cujus firmamento loca in scripturis exstant plurima. Nunc iis, quæ præcedenti Exercitatione pro corroboranda thesi orthodoxa de Christi natura divina produximus, addimus sequentia. Joh. I. 14. *Verbum caro factum est.* Præcesserat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per λόγον facta sunt, & absq; eo nihil factum est, quod factum est. In ipso vita erat, & hæc vita erat lux hominum, lux vera, illuminans omnem hominem venientem in mundum. In mundo erat, & mundus per eum factus est, sed mundus eum non agnovit.* I. Tim. III, 16. *Sine dubio magnum est pietatis misterium:* DEUS *est manifestatus in carne, justificatus est in Spiritu, conspectus est ab Angelis, prædicatus est gentibus, fides illi habita est in mundo, sursum receptus est in gloriam.* Ebr. II, 14. 16. *Sicut pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoq; consimiliter particeps factus est eorundem: non enim utiq; Angelos assumsit, sed semen Abrahæ assumsit.* Quis autem ille assumens sit, evidenter docetur capite primo, de quo suprà dictum, ostensumq; eum esse summum Deum. Phil. II, 5. seqq. *Christus Jesus cum esset in forma* DEI, *non duxit esse rapinam, parem esse Deo: Sed ipse se exinanivit, forma servi accepta, similis hominibus factus, & habitu inventus ut homo &c.* II. Cor. IIX, 9. *Jesus Christus propter nos pauper factus est cum esset dives,* Rom. IX, 5. *Ex Patribus est Christus secundum carnem, qui est supra omnes* DEUS *benedictus in secula.* Cap. I, 3. *Filius Dei factus est ex semine Davidis secundum carnem, declaratus filius Dei potenter secun-*

secundum Spiritum sanctificationū per resurrectionem ex mortuū. Huc pertinent loca Johannis, quibus docet Christum *descendisse de cælis*: quibus assonat Pauli illud I. Cor. XV. 47. ubi Christus dicitur *Dominus de cælo*: & Ebr. X. 5. *Quum ingrederetur in mundum Christus, ait: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi.* Adde cap. VII. 3. ubi Christus ἀπάτωρ, ἀμήτωρ. Adde alia loca innumera: DEUS summus redemit sanguine proprio Ecclesiam suam: Dominus gloriæ est crucifixus: Jehovah est ille, quem transfixerunt Judæi: Jehovah est ille, cujus gloriam vidit Esaias, cui incurvabitur omne genu &c. Quæ supra satis sunt excussa.

§. 2. Sed loca allegata paulo diligentius examinemus. Primus est Johannis Cap. I. 1. seqq. *In principio erat λόγος* &c. Hic urgemus singulas voces absolutè positas, ἐν ἀρχῇ & ἦν: quia enim absolute stant, absolutè etiam à nobis capiuntur. Et principium intelligimus de principio omnium rerum, atq; τὸ ἦν extra controversiam est secundi, ut vocant adjecti, notatq; existentiam, hoc sensu: In principio omnium rerum existebat, adeoq; jam tum erat λόγος. Sociniani quidem hic principium intelligunt Evangelii, de quo tamen in primis versiculis nec vola nec vestigium apparet. Et cui fini de principio Evangelii dicere Johannes aggrederetur? ne quis Johannem Baptistam Christo duceret præferendum, inquies. At vero longè aliter de scopo Johannis judicant Veteres. Nihil jam dicam de Epiphanio, Theodoreto, Eusebio, Augustino, quorum authoritate & testimonio forte stare vel cadere recusabunt adversarij. Irenæum tamen, discipulum Polycarpi, qui ipsum audivit Johannem, quin adducamus, facere nullo modo possumus. Sic vero ille lib. III adver. hæres. cap. XI. *Omnia talia circumscribere volens discipulus Domini, & regulam veritatis constituere in Ecclesia &c. Sic inchoavit in ea, quæ est secundum Evangelium doctrina, In principio erat verbum, &c.* Et mox: *Abstulit à nobis dissensiones omnes ipse Johannes dicens, In hoc mundo erat, &c.* Et postquam Marcionem, Gnosticos & Valentinianos refutaverat, subjungit: *Cum Evangelium manifestè dicat: quoniam per verbum, quod in principio erat apud Deum, omnia facta. Quod verbum, inquit, caro factum est & habitavit in nobis: secundum autem illos, neq; verbum caro factum est, neq; Christus, qui ex omnibus factus est Salvator. Etenim Verbum & Christum nec advenisse ad hunc mundum volunt: salvatorem vero non incarnatum, neq; passum, &c.* Ex quibus patet,

hære-

hæreticis oppoſuiſſe ſe Johannem, cum Evangelium ſuum ſcriberet. At nemo veterū ullum tunc temporis fuiſſe hæreticū teſtatur, qui Johannem Baptiſtam cenſeret Chriſto præferendum. Quin hæc corruptela evidenter evertitur verſiculo tertio, quo indicat Johannes; non de Evangelii, ſed de creationis rerum omnium principio ſe locutum fuiſſe. Addè, quòd Chriſtus in principio dicatur fuiſſe πρὸς τὸν θεὸν, ubi non poteſt aliud intelligi, quàm exiſtentia apud Patrem. Neq; enim hic τὸ ἦν aliter capiendum, quàm in eo, quod præceſſit, effato: nec εἶναι πρός τινα alium habere poteſt, quam exiſtentiæ hujus ſignificatum, prout alii Scripturæ loci demonſtrant. Accedit contextus, verſiculi nimirum 14. collatio, ubi opponitur hæc apud Patrem exiſtentia habitationi inter homines: & verſ. 18 ubi dicitur Chriſtus ὢν εἰς τὸν κόλπον πατρὸς. Quod autem dicunt, eſſe apud Patrem, idem eſſe ac ſoli Patri notum eſſe, & falſum eſt: fuit enim Chriſtus initio Evangelii notus Zachariæ, Magis, Simeoni, Parentibus, aliisq;: & ineptum atq; inauditum, nec unquam, quiſquam ad eum modum tali ſenſu locutus eſt. Sequitur: Θεὸς (abſolutè) ἦν ὁ λόγος Verbum erat DEUS. Dices: Θεὸς hic eſſe ſine articulo. Quid tum? ergo non denotabit ſummum Deum? Reclamabunt verſ. 12. 13. capitis hujus. Quin articulum rem non variare patet ex verſ. 45. 46. & 47. 48. ſeqq. Sed vide quæ dicta ſunt Exerc. præced. §. 5 Pergit Evangeliſta: πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Hic urgent ſingularum vocum abſolutè poſitarum proprietatem: Omnia per ipſum facta ſunt. Dices: per τὰ πάντα intelligi omnia ad Eccleſiam & Evangelium pertinentia. Sed hæc explicatio nova eſt & contorta. De Evangelio Johannem loqui falſum eſſe oſtendimus, καὶ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα βοᾷ. Deinde repugnat hæc gloſſa tum vocibus ipſis, quæ abſolutè ponuntur: tum contextui, quia additur nihil hinc excipi, οὐδὲ ἕν & explicatur poſtea, quænam ſint illa πάντα, quæ per Chriſtum ſint facta, nempe tota rerum univerſitas, ὁ κόσμος verſ. 10. tum locis parallelis, puta Coloſſ. 1. 16. 17. ubi τὰ πάντα explicantur per viſibilia & inviſibilia; item Ebr. 1, 2 10. ſeqq. ubi per terram & cœlum, imò, quicquid unquam extitit, extat & extabit, ſicut dictum eſt præced. Exercit. § 7. & 8 Neceſſ, quod dicas, voce ἐγένετο deſignari Evangelium, & creationem ſecundam, voce mundi intelligi futurum ſeculum, quod jam Chriſto eſt præſens, in quo unà

cum ipso immortales, ac beati erimus &c. Quis non videt, sic immani torturâ labefieri Scripturas? Monstrent ullum exemplum è probato authore sive sacro sive profano, qui ad eum modum vocem γενεὰς & κόσμος usquam acceperit. Omnia exempla stant pro nobis & veritate. Saltem inspiciatur Græca versio cap. I. Geneseos. Imò expendatur dictorum virtus apud. Johannem: ἐδὲ ἔν, ὁ γέγονεν. Quæ profecto ita universalia sunt, ut restringi ad Evangelium nullâ ratione possint. Nec Socinianos juvat locus Ebr. II, 5. Hic enim non est κόσμος, sed οἰκουμένη. Cæterum rectè CL. Camerarius: *Significantur homines, qui ea ætate coluerunt orbem terrarum, quo filius Dei in terris natus est. Ideo nunc* τὴν μέλλουσαν οἰκουμένην *eam hominum in orbe terrarum ætatem vocat, in quam futurum erat, ut filius Dei secundum Prophetas introduceretur, hoc est, nasceretur homo, qui est filius Mariæ Jesus. Ideoq; addidit,* οὗ περὶ λαλοῦμεν, *id est, non subjecit angelis orbem terrarum futurum, cum inquam, de quo loquimur, id est, in quem debebat introduci Christus.* Hæc Camerarius. Summa huc redit, intelligi mundum futurum respectu Davidis & Prophetarum. Et hoc clarum est ex Cap. I. 10. seqq. ubi mundus ille per Christum conditus dicitur interiturus, quod in futurum seculum non quadrat. An autem cum Johanne, qui dicit mundum non agnovisse Christum, conciliari hæc glossa possit, cordato lectori judicandum relinquimus. Alias Socinianorum exceptiunculas non est quod moremur. Si dixerint, non esse idem, ante conditum mundum fuisse, &, ab æterno fuisse, Scripturæ consvetudine refutabuntur, quæ ubiq; unum per alterum explicat. Vide Psal. XC, 2. Prov. IIX. 23. seqq. &c. Nec præterendum est, quod Christus dicatur vita & lux, qui habeat vitam in semetipso Joh. V, 26. Quod de mero homine dici nulla ratione potest.

§. 3. Quibus sic constitutis clarum est quod subjungit Johannes: καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Vocem λόγος Johannes mutuatus est tum ex authentico textu Veteris Testamenti, puta Psal. XXXIII. 6. ubi est דבר & 11. Sam. XXIII. 2. ubi מלה: tàm ex Chaldia paraphrasi, quæ loca fat multa, in quibus occurrit nomen glorioſum Jehova, adhibito suo מאמר vel מימרא expressit. Et sunt in Hosea duo illustria loca hanc rem illustrantia. Hos. I, 7. hæc verba. *Et servabo eos per Jehovam Deum ipsorum.* Chaldæus interpres vertit. *Et redimam eos per Verbum Dei Domini sui.* Sic Cap. XII. 4. seqq. vocem Angelus (qui est ipse Jehova

Ange-

Angelus fœderis Christus) vertit Verbum. Hunc autem λόγον esse summum Deum, ex Johanne demonstratum est. Dices: λόγον dici respectu officii, quod per eum perfectissimam suam voluntatem hominibus revelavit. Respondeo, sic potius Spiritum Sanctum dicendum fuisse λόγον: hic enim & ante Christum prophetis Vet. Test. voluntatem Dei in Christo manifestavit II. Pet. I. ult. I. Pet. I, II, & nunc omnia manifestat in Novo Joh. XIV. 26. Non quidem illum respectum manifestationis divinæ voluntatis à λόγῳ separamus, attamen in hoc potissimum respectu residere hujus denominationis fundamentum negamus. Aliud nos docet Moses, qui profecto non sine misterio Deum toties introducit *dicentem, fiat hoc, fiat illud* & postea addit, *& factum est*. Quo sermone nunquam postea usus legitur, etiamsi maxima miracula patraret. Sed ad reliquas voces enunciati nostri pergamus. σαρκὸς vocem ipse Volkelius concedit denotare hominem, qui infirmitatibus, perpessionibus morti deniq; obnoxius est, sicut accipitur passim in Scriptura Gen. VI. 6. 12. Psal. LVI 5 Psal. LXXVIII. 39. Esa XL. 6 Jerem. XVII. 5 I. Pet. I. 24. &c. Dices: carnem non denotare hominem, sed in abstracto fragilitatem: aliàs ὑστερολογία à Johanne commissa esset, quod prius de iis egisset, quæ Christus homo gessit, quam egerit de incarnatione. Respondeo, fragilitatem illam ipsum subjectum includere. Nec inusitata est ὑστερολογία scripturæ, præsertim Evangelistis, ut patet ex ordine tentationum apud Matthæum & Lucam cap. IV Confer. Matth. XXVI. 27. cum Marci XV. 16. Et ne longius abeamus, in hoc ipso capite apertam ὑστερολογίαν Johannis animadvertere licet. Qui enim vers. 14. dixerat, Christum inter Apostolos habitasse, qui gloriam ejus viderint, versu 39. demum initia illius conversationis, memorat. Quod autem in loco nunc contraverso quædam interserit Johannes, incidenter, factum ex occasione lucis & Baptistæ, cujus mentionem injecerat. Et hoc ipsum contra exceptionem adversariorum telum est efficacissimum. Deniq; dices τὸ ἐγένετο non esse vertendum, factum est, sed, fuit vel erat. Respondeo, hoc fieri contra vocum indolem contextum & similia loca. Etenim τὸ γίνεσθαι propriè significat fieri: caro autem quid sit, jam demonstratum est. Quæ porro hæc interpretatio esset, λόγος, hoc est homo Christus (nullam enim in Christo nisi humanam naturam adversarij agnoscunt) erat vel fuit homo? Quin à Johanne toties jam dictus erat

λόγος

λόγ☉ esse vel fuisse, nimirum, in principio, apud Deum, imo Deus &c. Non ergo hoc in loco esse sed aliud quid indicabitur. Quod si similes locutiones conferamus, extra controversiam causa cadunt adversarii. Quomodo Johannes τὸ ἐγένετο usurpet, ex hoc capite I. palàm est vers. 3. 10. 12. qui cum de simplici esse loquitur, τὸ ἐιμὶ adhibet, ut patet ex vers. 1. 2. 5. 10. &c. Confer. Rom. 1. 3. ubi dicitur filius Dei γενόμν☉ ἐκ σπέρματ☉ Δαβὶδ factus ex semine David: & Gal. IV. 4. γενόμν☉ ἐκ γυναικὸς factus ex muliere dicitur. Dices: si his vocibus, caro factum est, incarnatio denotatur, voce vero λόγ☉ Jehovah, quia Jehovah, tota Trinitas est, sequitur, totam Trinitatem incarnatam esse. Respondeo incarnationem à tota Trinitate esse activè, non autem passivè & terminationè. Nempe tota Trinitas incarnavit: Pater mittendo filium Gal. IV. 4. Spiritus S. superveniendo & formando humanã Christi naturam; ipse Filius Dei obumbrando Luc. I. 35. Interim solus Filius est incarnatus.

§. 4. Progredimur ad secundum locum I. Tim. III. 16. Dices primo Vocem ὁ θεὸς non esse in Veteri versione, quæ ita habet: *Manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod* (ὁ) *manifestum est in carne &c.* Et hoc probat Erasmus. Respondeo, omnes Græcos codices constanter legere ὁ θεὸς, quod ipsi adversarij agnoscunt, & propterea objectiunculam hanc quam ipse contextus sufficienter jugulat, missam faciunt. Dicunt ergo, hic intelligi Patrem hoc sensu, Deus Pater fuit manifestatus in carne, hoc est, in humili & abjecta conditione Christi potenter se declaravit, & ostendit se cum Christo esse & eum defendere &c. Respondeo, de illo exponendum esse locum hunc, de quo caro in Scripturis prædicatur. At nusquam Scriptura Deo Patri carnem attribuit: ubiq; vero Filio, qui dicitur *caro factus esse, carnis & sanguinis particeps fuisse, carnem pro mundi vita dedisse: ex Patribus esse secundum carnem, passus esse carne, venisse in carnem, &c.* Joh. VI, 51. Rom. I. 3. I Pet. III. 18. I. Joh. IV. 2. &c. Alij dicunt, Deus manifestatus est in carne, idem esse, ac Deus Pater voluntatem suam patefecit per homines infirmos & mortales. Verum hoc nimis frigidum est, prorsus autem inusitatum falsum & superfluum. Inusitatum est, Deum accipere pro divina voluntate, carnem pro infirmitate, & hoc modo positum pro ἄνθρ. Falsum præterea est in hac patefactione divinæ voluntatis consistere mysterij hujus rationem. Nam &

in

in Vet. Testamento Deus per infirmos mortales Prophetas voluntatem suam patefecit. *Utut in Christo notum nobis fecit mysterium voluntatis suæ secundum gratuitam suam benevolentiam, quam præstituerat in sese, ut in plena temporum illorum præstitutorum dispensatione summatim omnia recolligeret in Christo*, Ephes. I, 9. Deniq; superfluum: sequitur enim, ἐκυρήχθη ἐν ἔθνεσι. Et quod rei caput est, planè Deo Patri non conveniunt, quæ sequuntur. Neq; enim Deus Pater Angelis in singulari mysterio & peculiariter est visus, non sursum receptus in gloria, non Justificatus in Spiritu, non peculiariter gentibus prædicatus, aut creditus in mundo. Dices: Deum Patrem etiam videri ab Angelis Matth. XIIX. 10. Respondeo, semper illud fieri, adeoq; non posse illud pro mysterio haberi. Deinde ibi est βλέπειν, hic ὤφθη, unde liquidum est de singulari aliqua ὀπτασία esse sermonem, quam describunt Evangelistæ, Luc. II, 12. Matth. IV, 15. Luc. XXII, 43. XXIV, 4. Act. I, 10. qua viderunt Angeli Christum natum, tentatum, patientem, resurgentem, adscendentem. Nunquid autem credibile est, Angelis demum tempore Christi innotuisse voluntatem Dei? Id, inquies, Paulus testatur Eph. III, 10. Sed ibi non dicit Paulus DEI voluntatem innotescere, sed multiplicem DEI sapientiam, quam fatemur relucere ex Ecclesiæ Novi Testamenti collectione, magis, quam ex gubernatione unius synagogæ. Cæterum non latuisse Angelos hanc rem patet ex prædictionibus promissionibusq; Veteris Testamenti. Quomodo autem concordat cum voluntate DEI, quod sequitur & periodum claudit: sursum receptus in gloria? Dices: voluntatem Dei recipi in gloria, quando cum studio veræ pietatis passim admittitur Evangelium. Sed quis hæc non rideat? quis non miretur Socinianos sanæ rationis, ut videri volunt, studiosos, tàm inauditas, tam contextui totiq; Scripturæ minimè consentientes interpretationes audere proferre? Nos & proprietatem phrasis urgemus & contextum & loca similia. Contextus apertè reclamat: bis enim idem diceretur, si staret interpretatio Socinianorum, præcessit quippe, creditus est in mundo. Nec ullibi in sacra Scriptura Deus Pater, multò verò minus ejus voluntas, dicitur ἀναλήφθηναι ἐν δόξῃ. Christus passim Marc. XVI, 19. Act. I, 2. II. 22. & ἀναλαμβάνεσθαι ubiq; in N. T. est suscipi vel sursum assumi. Dices: sic commissum ὕστερον πρότερον, quia post adscensionem demum est inter gentes prædicatus. Respondeo, quid tum postea? nunquid ideo

ad inusitatas & insulsas interpretationes est prolabendum? Quin & gentibus fuisse prædicatum Christum ante adscensionem docet, Matth. II, 3. IV 24. Lucas item VI 17. Joh. XII, 20. 21. Instabis: sic dicendum fuisse εἰς δόξαν. Sed ἐν pro εἰς poni quandoq; notum & indubitatum est. Vid. Glass. Grammat. Sacr. pag. 495. Ad reliqua prædicata veniamus. Dicunt; etiam Deum Patrem posse dici justificatum esse Spiritu, gentibus prædicatum & creditum in mundo, quatenus pro vero est agnitus per virtutem illam divinam, quæ eum in Christo tum in Apostolis se exserebat, h. s. Deus Pater est gentibus prædicatus & creditus in mundo, &c. Respondeo, pariter hæc nova esse, & jam mutatur subjectum. Antea erat voluntas divina, nunc Deus Pater. Nec usquam Pater dicitur justificatus in Spiritu. At Christus per Spiritum dicitur justus declarandus & Filius Dei, Joh. XVI, 8. seqq. Confer verba Centurionis Marc. XV, 39 & Luc. XXIII, 47. In priori loco est: *Vere hic homo filius Dei erat*, in posteriori: *Vere hic homo justus erat*. Quæ eodem recidunt. Nam passim fama percrebuerat, affici supplicio Jesum, quod pro filio Dei se gereret: dum ergo justitiæ laudem ei tribuit Centurio, à crimine simul absolvit & filium eum Dei fatetur. Porro, Deus Pater etiam in V. T. erat prædicatus gentibus Ægyptiis, Cananæis, Babyloniis, Ninivitis, Persis aliisq; gentibus, Act. II, 5. ab iisq; erat creditus & pro vero DEO agnitus: non ergo hæc de DEO Patre, sed de DEO Filio, qui passim Gentibus dicitur prædicandus & prædicatus, & in mundo creditus peculiari quadam ratione & in mysterio, sive re nova nec antea audita, unicè hæc intelligenda relinquuntur.

§ 5. Tertius locus est, Ebr. II, 14. 16. Quicunq; assumsit semen Abrahæ, ita ut particeps sit carnis & sanguinis sicut pueri cõmunicant carni & sanguini, ille est verus homo. Atqui Deus summus assumsit semen Abrahæ, ita ut particeps sit carnis & sanguinis, sicut pueri communicat carni & sanguini, E. Deus summus factus est homo. Minor est Cap. I. cujus verba adducta & defensa sunt Exercitatione præcedenti. Major est in textu. Excipiunt primò, τὸ ἐπιλαμβάνεσθαι nihil aliud esse, quam manu porrecta apprehendere, suscipere, sublevare, liberare, semen autem Abrahæ de spirituali semine, hoc est, de fidelibus accipiendum esse. Respondeo, etiamsi verum esset, vocem ἐπιλαμβάνεσθαι generaliter quamlibet assumtionem denotare, hic tamen non potest stare generalis illa significatio, quia restringitur ad participationem carnis & sanguinis sicut pueri

com

communicant carni & sanguini. Idem flagitat antithesis Apostoli: nam angelos, intellige bonos, (de his enim in præcedentibus hujus capitis versiculis ut & Cap. I. dixerat) sed semen Abrahæ assumsit. Angeli enim boni liberatore non egebant. Quin confunditur res & rei finis. Particeps factus est carnis & sanguinis eo fine ut liberaret, sicut sequitur, vers. 14. 15. Porro semen Abrahæ quid hoc loco sit, tum contextus, de quo jam dictum est, tum collatio locorum similium demonstrat. Vide Gen. III, 15. XXII, 18. Gal. III, 16. &c. Nimirū sic Filius Dei assumsit semen Abrahæ, ut ipse dicatur semen Abrahæ particeps factus substantiæ humanæ. Est autem res per se clara, si persona aliqua præexistens fiat particeps substantiæ alterius, id aliter fieri non posse, quàm per unionem & assumtionē ejus substantiæ in hypostasin propriam. Excipiunt amplius, Christum dici factum participem carnis & sanguinis sicut pueri, at pueri non incarnantur, E. Respondeo, Apostolum non dicere Christum factum esse participem carnis & sanguinis sicut pueri, sed sicut pueri communicant carni & sanguini, hoc est, sicut pueri revera carnem & sanguinem habent, adeoq; Apostolum non unum eundemq; ortum Christi & puerorum, sed unius ejusdemq; naturæ humanæ veritatem inculcare. Dices: Christum nobis in textu dici per omnia esse factum similem, unde consequitur, eum propriam habere ὑπόστασιν. Respondeo, factus est nobis similis ἐν τῇ φύσει, ἀλλ' οὐκ ἐν τῇ ὑποστάσει. Est enim Christus unus, I. Tim. II, 5. non unitate φύσεως & naturæ, sed ὑποστάσεως & personæ. Deniq; dices: Apostolum non dicere, Christum assumsisse, sed assumere semen Abrahæ. Respondeo, esse Enallagen temporis usitatissimā & notissimā. Quin præcessit τὸ μετέχει Vide Glass. Grammat. sacr. pag. 361.

§. 6. Quartus locus est Phil. II, 6. 7. seqq. Ex hoc loco patet: Christum, qui formam servi assumsit, esse summum Deum. Vide Chemn. de duab. nat. in Christo pag. 138. Cæterum ad illud, quod dicitur οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, melius intelligendum, operæ pretium fuerit Camerarium adire, cujus hæc sunt verba: *Articulus (τὸ) ponitur δεικτικῶς. Illud, nimirum, quod esset. Et est ἔλλειψις, ut desit, τὸ ἑαυτῷ, τὸ εἶναι τὸ αὐτῷ, ἴσα Θεῷ, id est, quod per omnia æqualis esset Deo. Nisi malit aliquis ἴσα generaliter in neutro genere accipere συνθετικῶς, τὸ εἶναι αὐτὸν ἴσα Θεῷ, id est, ἐν ἴσῳ seu ἴσον. Quod ab Græci sermonis usu alienum non est.* Hæc Camerarius. Relinquitur ergo Christum, qui æqualis est

Deo summo, cuiq; hæc æqualitas non est aliena aut ex rapto, sed propria & sua, factum esse servum in similitudine hominum, imò verum & naturalem hominem. Dices: Paulum non loqui de æqualitate absoluta, quia non potest esse Deo æqualis, Respondeo, homo, qua homo, esse Deo æqualis nequit: interim alio respectu, de quo jam quæritur, esse potest. Dices, potuisse Deum pro arbitrio libertatis suæ facere hominem sibi æqualem etsi imperfectè. R. imperfectã æqualitatem esse contadictionẽ in adjecto. Nec agnoscimus. Deũ posse vel velle sibi ullo modo æqualẽ facere sensu adversariorũ. *Non* enim *potest negare seipsum, quod sit unus & quod non sit alius præter se* II. Tim. II, 13. Deut. VI, 4. *Nec gloriam suam alteri dat* Es. XLII, 8. Deniq; illius glossæ in scriptura nec vola nec vestigium apparet. Dices, non posse hic intelligi æqualitatem absolutam, quia eam deposuit, & ad tempus ea se privavit. Respondeo, falsò id dici, Christum aliquando suam cum Patre æqualitatem deposuisse. Contrarium potius innuitur voce ὑπάρχων. Quod autem dicitur se exinanivisse, eatenus est intelligendum, quatenus homo factus est vilis & humilis conditionis, & per humanam naturam sibi conjunctam, gloriam eidem in ipso conceptionis puncto communicatam nec semper, nec ubiq;, nec omnibus quibus potuit, modis patefecit, sed ejus universali & plenaria usurpatione ad tempus se quà homo abdicavit. Dices: voculam ἴσος non æqualitatem sed similitudinem denotare. Respondeo, propriè hæc vox notat Græcis authoribus æqualitatem, à qua vocis proprietate recedere non licet. Et nisi Christus ejusdem essentiæ esset cum Deo Patre, æqualis ipsi esse minimè posset. *Quis* enim *Deus fortis par tibi?* Mich. VII, 18. Ps. CXIII, 5. II. Sam. VII, 22. Sociniani hic intelligunt potentiam Christo à Deo concessam. Respondeo, hanc non excludi, sed includi & sequi naturam Christi divinam. Adde quod ante exinanitionem Christi regiam potentiam planè negent adversarii, atq; sic Paulo in os contradicant, qui potentiam hanc præcessisse exinanitionem diserte affirmat. Arq; id quoq; ipsa exinanitionis indoles & natura flagitat. Si enim potentiam regiam Deoq; æqualem ante exinanitionem & passionem non habuit, quo pacto potuit se exinanire & quidem adhuc ἐν μορφῇ θεῦ ὑπάρχων? quomodo potuit abstinere ab usu potestatis, ut veluti eadem vacuus apparuerit, quam antea non habuerat? Hæc profecto sunt inconsistentia. Cum hoc Phil. II, 6, 7 conferatur locus II Cor. IIX, 9.

§ 7 Jam ad alia loca veniamus, Rom. I, & IX Joh. III. & VI. &c. Ex Epistola ad Romanos sic colligimus. Qui factus est ex Patribus & ex semine

semine David secundum carnem, ille factus est homo. Atqui Deus super omnia sive summus Deus factus est ex Patribus secundum carnem, E. summus Deus factus est homo. Dices: Christum quantum ad carnalem propagationem & generationem attinet, esse semen Davidis, quantum autem ad spiritualem ejus nativitatem attinet, esse Filium Dei & sic alibi vocem carnis accipi in Scripturis. Respondeo, hic non opponi carnem Spiritui, sed opponi carnem Deo benedicto in seculo, naturâ nempe humanam naturæ divinæ. Dices: sensum horum locorum esse, Christum secundum vulgarem carnalem & naturalem omnibus notam generationem esse ex Patribus. Respondeo, blasphema hæc esse. Generatio enim Christi hominis non fuit vulgaris, si ortum spectes naturæ humanæ, sed fuit supernaturalis, ineffabilis, orta non ex semine viri, sed ex Virtute Dei & Spiritui Sancto, magnumq; continet pietatis mysterium sine controversia, I. Tim III, 16. Et e Johannis locis plurimis ut & ex Paulo sic arguimus: Quicunq; de cœlo descendit, estq; Dominus de cœlo & in mundum venit atq; homo factus est, ille simul Deus summus est & homo. Atqui de Christo prius verum. E. & posterius. Hic variæ sunt adversariorum corruptelæ. Alii dicunt, descendere de Cœlo esse idem atq; aggredi divinum officium & eodem fungi. Alii descensionem de cœlo referunt ad carnis Christi in utero Mariæ virginis virtute Spiritus Sancti formationem. Alii deniq; contendunt Christum initio sui ministerii adscendisse in cœlum & ibi à Patre edoctum atq; sic rursum de cœlo descendisse. In quo opinionum freto hæc ultima est exstantior & communior. Circa temporis circumstantiam adhuc quædam varietas. Alii putant esse factum, cum per quadraginta dies in deserto esset Christus. Alii contigisse hunc adscensum putant, cum Parentes Jesum amisissent. Volkelius neutrum eligere vult Col. 46. Respondemus hanc fabulam quod Christus bis adscenderit, esse similem Mahumeticis, inq; Ecclesia Dei hactenus inauditam, scripturæ quoq; non tantum incognitam, sed planè contrariam & adversam, quæ testatur, Hebr. IX, 12. *Christum esse ingressum in cœlum* SEMEL. Ergo non bis. Quod si Christus antea adscendisset in cœlum, quàm aggrederetur munus docendi, utiq; non vadens sed rediens ad Patrem & in cœlum dicendus fuisset. Et cui usui ille prior adscensus? ut ibi cognosceret divina mysteria, sicut Paulus, inquies. Atqui ad illa cognoscenda nullo raptu opus fuit. Si enim Prophetæ in terris existentes voluntatem Dei cognitam habuerunt multo magis Christus qui *est in sinu Patris & plenus Spiritu Sancto*, & *Consiliarius Dei*, Esa. IX, 6.

in quo sunt omnes thesauri scientiæ, Coloss II, 3. 9. Joh. X, 38. XIV, 10. Pauli adscensio disertè describitur à Scriptura à tempore loco, fine & effectu: Christi adscensionis nec vola nec vestigium apparet. Johannis locis geminus est locus, Ebr. X, 5. §. 1. citatus, quem miris modis depravant adversarii. Alii intelligunt inaugurationem Christi ad munus docendi: plures vero mundum intelligunt de mundo futuro; corpus adaptare idem esse volunt ac perficere & absolutum reddere corpus, ita ut ex mortali immortale, ex carneo & osseo spirituale evaserit. Respondeo, vocem κόσμος nusquam in Scripturis accipi de mundo futuro, sicut Exerc. præced. ostensum. Quin aperte huic glossæ contradicit Christus Joh. XVI, 28. *Exivi à Patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad Patrem.* Ubi mundus alius esse nequit, quam præsens: hunc enim Christus, non alium, reliquit, quando ad Patrem vadebat. Quod si Psal. XL. inspexissent adversarii, nunquam tam ineptam interpretationem commenti essent. Alluditur enim atq; respicitur ad ritum Ebræorum, apud quos servis, qui manumitti nolebant, aures perforari jubebantur. Quod ergo Psaltes ex ritu Ebræo dicit אזנים כרית לי, aures perforasti mihi, id LXX. expresserunt: Corpus adaptasti mihi, puta servile. Ut faciam voluntatem tuam, de qua Christi apud Johannem verba sunt Cap. VI, 38. *Descendi è cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Meræ autem nugæ sunt, quæ de Christi corpore fabulantur adversarii, deq; τῷ καπηρτίζειν Exercit. Ult. V. V. discutiendæ. Superest locus, Ebr. VII, 2. ubi Christus ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, ἀπάτωρ ut homo, ἀμήτωρ ut Deus. Dices: hæc esse accipienda de officio Christi sacerdotali, quod non acceperit Christus à Patre vel Matre. Respondeo, voces Patris & Matris ita torqueri nec possunt nec debent. Quid autem sibi velit Apostolus, ostendit, quod sequitur. Neq; initium dierum neq; finem habens, quod in Christi sacardotium minimè quadrat.

§ 8. Atq; hæc de sublimi Incarnationis misterio sufficiant. Nunc ad Christi officium Propheticum transeamus. Quod ipsum corrumpere necessum est Socinianos, quia de Christi summa Deitate aliter sentiunt, quam sacræ literæ docent. Nimirum λόγον ἄσαρκον nullum unquam fuisse contendunt. Porro non Entis nullæ sunt affectiones. Quia ergo negant Christum in Vet. Test. extitisse, consequenter negant, eum tunc homines de suis beneficiis deq; ipsorum officiis docuisse. Quam rem postea videbimus. Nunc considerare jubemus locum Petri, Epist.

prior.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0077
DFG

prior. Cap I, 10. *De qua*, inquit, *salute animarum mercede fidei nostræ inquisiverunt, quamq; scrutati sunt Prophetæ, qui de hac ipsa gratia prophetarunt: scrutantes, in quem aut qualem tempora articulum præmuntius ille, qui in ipsis erat, Spiritus Christi, declararet eventuras Christo passiones & gloriam illas consequuturam.* Hinc clarum est, Christum per Spiritum suum Prophetas, & consequenter Prophetarum auditores docuisse de beneficiis morte sua impetrandis. Dices, Spiritum sanctum, qui in Prophetis erat, dici posse Christi, non quod à Christo datus fuerit, sed quod ea, quæ Christi fuerunt, annunciavit, sicut I. Joh IV. 6. dicitur Spiritus erroris & veritatis, quod Spiritus veritatis loquatur quæ veritatis sunt, & spiritus erroris quæ erroris. Respondeo, dissimilem esse phrasin, cum Spiritus rei tribuitur & cũ tribuitur personæ, ut hic Christo. Tum enim denotat ejus ἐνέργ. Rom. IIX. 9. & utrumq; Scriptura de Christi Spiritu prædicat, tum quod Christi sit Gal. IV. 6. tum quod de Christo futura annunciet Joh. XVI. 13. seqq. Cæterum duo sunt, quæ hic potissimum oppugnant Sociniani, alterum est de promissionibus & beneficiis, Patribus in V. T. factis: alterum de hominum officiis in Veteri & Novo Testamento. De promissionibus sic statuunt Sociniani, factas quidem esse Patribus in V. T. promissiones, sed non nisi de corporalibus & temporalibus bonis. Officia autem hominum aliter putant esse comparata in N. Testamento, aliter in Veteri, eò quod Christus mandata perfectiora dederit sive numerum spectes, sive uniuscujusq; mandati excellentiam, hoc est non tantum plura mandata addita, verum etiam ampliata quæ jam erant, & gradibus aucta. Sed de promissionibus agetur Deo volente Exercit. V.

§. 9. Nunc demonstrabimus, *Christum in Novo Testamento non instituisse legem mortalem veteri perfectiorem.* Id prius quam probemus, notamus, si τὸ perficere legem accipiatur, ut opponitur corruptelis Pharisæorum; concedere nos Christum perfeciisse legem moralem nativæ integritati atq; perfectioni restituisse & à corruptelis seniorum vindicasse. Et hoc concedimus, Christum legem moralem in Novo Testamento impleviisse, quo pacto dicitur, Matth. V, 17. venisse πληρῶσαι τὸν νόμον, implere legem, hoc est, ut perfectè, perfectione partium & graduum legem observaret: opponitur enim τῇ πληρώσει seu observationi legis, ejusdem καταλύσις & λύσις seu violatio opponitur τῇ ποιήσει vers. 19. Interim negamus, Christum nova præcepta legalia addi-

addidisse, aut jam data extendisse. Id probamus inde, quod nullum morale præceptum in N. T. possit dari, quod ad duo illa objecta, dilectionem Dei & proximi referri nequeat. Quæ hic excipiunt, postea excutiemus, & ostendemus, nullam ad præcepta Decalogi additionem factam esse. Dices, constare ex Matth V, 21. Christum legem Mosis ad exactiorem & præstantiorem formam adegisse: clara enim est oppositio: *Audistis dictum fuisse veteribus, Ego autem dico vobis, &c.* Respondeo: Illis verbis dictum est veteribus, Ego autem dico vobis, non opponi Christum Mosi, sed Pharisæorum corruptelis, ut patet ex antecedenti versu, ubi nominatim fit mentio Pharisæorum & Scribarum: *nisi abundaverit vestra Justitia, plus quam Scribarum & Pharisæorum, &c.* Ubi notandum: non dicere Christum, plus quam Legis & Prophetarum, quippe legem perfectè servantibus vita promissa erat. Adde, quæ consequuntur: de *juramentis per aurum templi, per donum super altare, de inimico odio habendo*, quæ manifestæ erant legis corruptelæ. Est ergo sententia illorum verborum: Audivistis à vestris doctoribus; quasi dicat, hoc tantum audivistis, hoc vestri vos doctores tantum docuerunt, Non esse occidendum hominem: Ego autem dico vobis, non modo non occidendum, sed ne temerè quidem ei irascendum. Sed & alia suppetunt argumenta, nostræ assertioni fidem facientia. Est enim Lex Mosaica regula perfectissima actionum humanarum Psal. XIX, 8. ad quam vivens, perfectissimam vitam vivit, vitamq; æternam adipiscitur: Unde consequitur, Legem moralem ulterioris perfectionis non esse capacem. Quid enim perfectius est, quàm *diligere Deum ex toto corde, ex totâ anima, ex totis viribus, & proximum sicut semet ipsum?* Præterea si Christus perfectiorem Legem attulit, sequitur quod ex Lege Mosis non tantum sit cognitio peccati, quod est contra Apostolum, Rom. VII, 7. Imò quod gravius est, aut redemit nos ab ejus exsecratione, aut non redemit. Si non, adhuc sumus sub ejus exsecratione. Nam si Mosis Legem non potuimus servare, quæ imperfectior est: quantò minus legem Christi perfectissimam? Si redemit, quæritur ubi hoc dicatur? Taceo Christum Mosi, tanquam Legislatori cujus est condemnare, passim opponi, v. g. Joh. I, 17. III, 17. &c. Taceo, Legem moralem esse immutabilis Dei voluntatis indicem, unde sequitur non potuisse capere additionem vel deminutionem. Vide Matth. V, 18.

§. 10. Cæterum quod attinet additamenta, quæ Sociniani ad Legem dicunt

dicunt esse facta, possunt ea revocari tum ad tabulam primam, tum ad secundam. In genere ad Tabulam primam dicunt addita esse 1. *ut gaudeamus in Domino & spe æternæ vitæ perpetuo oblectemur.* 2. *Ut Christianæ constantiæ & patientiæ studeamus, quo simus parati etiam vitam pro Christiana pietate profundere.* 3. *ut gravitati Christianæ studeamus.* 4 *crucem nostram portemus.* 5. *Christum imitemur, &c.* Resp. ad I. Gaudium illud in Domino etiam piis V. Test. familiarissimum fuit. Abrahamo, cum videret diem Domini, Joh. VIII. Jobo, XIX, 25. Davidi in Psalmis passim. Porro patientia mandatur generaliter; *Diliges Deum tuum super omnia:* & suppetunt exempla Josephi, Genes. XIL, 8. seqq. Danielis, VI. 10. Danielis sociorum, Dan. III, 16. Maccabæorum; imprimis matris & 7. filiorum, 2. Maccab. VII. Ad III. dicimus nihil hic novi mandari, sed inculcari obsequium omnibus præceptis præstandum. Gravitas autem Christiana fluit ex timore Dei. Deniq; portare crucem Christi, est tolerare calamitates à Deo propter Christum immissas, sicut Moses de quo testatur Apostolus, Heb. XI, 26. quod *majores arbitratus sit divitias* τὸν ὀνειδισμον τȣ̃ χριστȣ̃ *probrum Christi* (passim enim illudebantur & contumeliis vexabantur Judæi, quod Messiam aliquem vanâ opinione exspectarent) *quam thesauros Ægypti.* Imitatio autem Christi per omnia vagatur præcepta. Alii addunt abnegationem sui; sed seipsum abnegare, est renunciare cupiditatibus carnis, avaritiæ &c. & prohibetur præcepto 5. 6. 7. 8. 9. 10. In Specie ad Præceptum I. dicunt esse additum 1. *ut Christum habeamus pro Deo.* 2. *ne adeamus illa loca, ubi Idola religiosè coluntur.* Sed R. ad 1. Si Christus ab æterno fuit Deus, sequitur hoc additamentum nullum esse. Sed verum prius, ut abundè patet ex suprà dictis. E. Ad 2. Hoc falsum esse dicimus. Nam & Paulus ea loca adiit, ut patet ex Actor. XVII, 19. seqq. 2. Si tale quid interdictum esset, minus adhuc esset eo interdicto, quod extat Exod. XXIII. 24. & 33. *Ne nomina deorum gentilium nominentur.*

§. 11. Ad II. Præceptum dicunt esse additum 1. *ut per Christum preces fundamus, adeoq; ipsum Christum invocemus.* Resp. Etiam in V. Test. fuisse Deum invocatum per Christum patet vel ex solâ precatione Danielis, Dan. IX, 27. Adde quod omnes promissiones divinæ sint ratæ in Christo, 2. Cor. I, 20. Si ergo Veteres habuerunt promissiones divi-

nas spirituales, utiq; etiam agnoverant eas esse ratas in Christo seu Messia: habuisse autem promissiones spirituales ex thesi præcedenti est clarum. Adoratum autem fuisse Christum etiam in Vet. Testam. patet ex Psal. XLV, 7. Psal. XCVII, 7. Confer Esa. VI. cum Johan. XII. & Esa. XI, 10. cum Rom. XV, 12. Porrò in quem jubemur credere, eum etiam jubemur invocare. Rom. X, 14. Atqui credidisse in Messiam veteres, negari nequit. E. Dices: novum à Christo datum præceptum, Joh. XVI, 23. Resp. Non ibi novum dari præceptum, sed tantùm typum V. Test. applicari ad antitypum in Novo fœdere exhibitum: ut sc. non amplius implicitè & sub integumentis antiqui fœderis, sed explicitè in nomine Christi exhibiti Pater invocaretur. 2. Dicunt additum præceptum *de orando seu invocando Deum.* Resp. Hoc non esse novum, sed fundatum in præcepto primo Exod. XX, 2. Deut VI, 13. 14. Matth. IV, 10. Tum in præcepto tertio de sanctificando sabbatho, & conventu habendo in locis sacris ad invocandum Deum: unde dicitur, Templum Salomonis, *Domus Dei*, *Domus Precationũ*, Matth. XXI, 13. Esa. LVI, 7. Adde præceptum Dei apud Davidem, Psal. L, 15. Esa. LV, 6. Et nequis dicat, hæc tantum esse consilia, non præcepta, addatur Psal. XXVII, 8. 3 Dicunt, *additam etiam esse Orationem Dominicam, seu formulam orandi quæ fuit ignota in V. Test.* Resp. Hanc posse spectari vel formaliter vel materialiter: Formaliter, quatenus habet 7. petitiones tali vel tali ordine, nova est: sed inde non sequitur factam esse additionem; nisi velimus dicere, toties fieri additionem quoties nova precandi formula utuntur pii. Materiale autem orationis Dominicæ etiam in V. Test. est. Dices: non fuisse petitionem 2, non 3, non 5tam. Resp. secundam petitionem fuisse, patet ex Psal. LI, 13. tertiam fuisse patet ex 2. Sam. X, 12. & XV, 26. Et quorsum David obedientiam Angelorum laudat, Psal. CIII, 20. 21. nisi ut consideratione illius accendantur homines ad pariter faciendam divinam voluntatem? Petitio quinta etiam fuit in V. Test. Psal. XXXII, 6. neq; dici poterit, injussos vel contra mandatum Dei hæc fecisse.

§. 12. Ad IIdum præceptum quartò dicunt additum, *quod Moses & Prophetæ sola perjuria vetuerint; Christum autem vetuisse omnia juramenta non necessaria*, Matth. V, 33. *Ne juretis omnino.* Resp. I. Si verba simpliciter essent accipienda, tum sequeretur simpliciter esse

esse prohibita juramenta? Sed Photiniani concedunt convicti ex Pauli, Rom. IX, 1. non omnia prohiberi: volunt saltim prohiberi juramenta à levitate profecta. At hoc ipso nostram sententiam firmant, qui dicimus Christum non se opponere legi Mosis simpliciter, sed quatenus cum Phariſæorum spuriis additamentis sumitur. 2. Juramentum est finis litis in N. Test Hebr. VI, 16. Excipiunt: Nomen Dei in vanum acipere, esse idem ac Deum testem invocare in rebus falsis. Resp. Hanc Interpretationem esse nimis angustam: nam & in rebus veris si Deus testis invocetur vanè ac leviter, tum nomen ejus in vanum sumi. Hebræorum enim שָׁוְא frustra & in vanum, leviter & frustiliter significat, Job XV, 31 Psal. CXXVII, 12 Jer. II 30. IV. 30, 31. Conf Hos. IV, 14. 15 Tandem sic argumentamur: Aut Juramenta levia fuerunt in V. Test. prohibita, aut non. Sed fuisse prohibita inde patet, quia Juramentum leve, fuit peccatum: Peccati agnitio est ex lege, ubi enim non est lex, ibi nec peccatum. Vel sequetur Juramenta levia in Veteri Test. non fuisse peccata: quod absurdum. Quintò, Dicunt ad II. præceptum in Nov. Test. additum est 1. *pro omnibus oremus, nominatim pro Regibus, Inimicis, & 2. omnium salutem promovere* studeamus. Resp. ad I. Etiam in V. Test. orationem pro Regibus & Inimicis fuisse usitatum, patet ex. Mosis, qui oravit pro Pharaone Exod. IX. 29. & Judæorum captivorum pro salute Babyloniorum, Jer. XXIX, 7. ad secundum, dicimus: nihil novi imperari, est hoc mandatum inclusum generali illi, *Diliges proximum tuum sicut teipsum; quod tibi vis fieri, alteri feceris.* Adde Matth. XXIII, 16. Ad III. Præceptum dicunt additum, Photiniani, *mandatum ab Apostolis de die Dominico celebrando.* Resp. Hæc tantum est circumstantia temporis, non additamentum aut variatio ipsius rei. Nam septimus quisq; dies æquè in Novo ac V. Test. colitur; & sic satisfit mandato de colendo septimo quoq; die recurrente.

§. 13. Ad secundam Tabulam dicunt esse additum, 1. *ut non tantum Fratres, h. e. eos qui sunt de populo Dei, verum etiam Inimicos & alienigenas diligamus, iisq; benefaciamus.* Resp. Vox Fratris male explicatur à Photinianis. Includit enim quemvis hominem, sive sit de populo Dei sive peregrinus, ut patet ex Lev. XIX, 17, collato cum 33. 34. Vide Gen. IX, 5. Ibi ratio, cur profundere humanum sanguinem non liceat, additur hæc: quia invicem *fratres* sumus. Cæterum

Inimicos etiam diligendos V. Testamentum inculcat, tum dictis tum exemplis. Dictis: Exod. XXIII, 45. Deut. XXII, 2. Levit. XIX, 18. Proverb. XXV, 21. 22. Exemplis Josephi, Davidis, aliorumq;. 2. Dicunt *additum esse mandatum de dilectione fratrum, usq; adeo ut simus etiam parati animas ponere pro fratribus.* Resp. Hoc etiam in V. Test. jubetur, cum jubemur diligere proximos, sicut nosmet ipsos. Dices: hîc autem videri mandari dilectionem supra nosmet ipsos. Resp. videri tantùm. Revera enim & dilectio illa, qua jubemur diligere proximos sicut nosmet ipsos, dilectionis illum gradū intensiorem includit. Nimirum sicut nos, si necessitas & rerum usus ita postularet, vellemus ut alius suo periculo vel vitæ contemtu periculum vitæ à nobis depelleret, aut pro nobis etiam vitam funderet: ita & nos debemus pari modo velle pro proximo nostro, si gloria Dei & salus ipsius aliter esse salva nequit, sanguinem profundere: secundum illud, *quod tibi vù fieri alteri feceris.* Nec deest in V. Test. hujus intensæ dilectionis exemplum, uti patet ex Exod. XXXII, 11. 12. In specie ad IV. Præceptum dicunt esse *addita mandata certa pro Ecclesiæ doctoribus & auditoribus, pro Magistratu & subditis, pro maritis uxoribus liberis, pro dominis & servis.* Resp. Generale officium doctorum & auditorum utriusq; Test. coincidit. Pariter enim in utroq; usitatum fuit, ut doctores invigilarent sacris laboribus, precibus, gererent curam populorum: auditores doctoribus honorem deferrent, de bonis suis eos sustentarent: tributa subditi Regibus conferrent, & hi pro illis excubarent, judiciumq; & justitiam exercerent: mariti diligerent uxores, hæq; illis morigeræ essent, liberi obedirent parentibus, & illos educarent: servi dominis obedirent, contrà Domini, quod justum & æquum est, servis tribuerent. De his omnibus in V. Test. passim agitur & agnoscit Volkel. p. 253. hæc additamenta nulla esse.

§. 14. Ad Præceptum Vtum dicunt addita esse hæc. 1. *ne temerè irascamur, criminemur,* Matth. V: 22. &. Iram temerariam, h.e. eam quæ sine causâ, & sine modo existat, una cum criminationibus passim etiam V. Test. damnari. Gen. IV. 6. Lev. XIX. 17. 18. Psal. IV. 5. & XXXVII. 7. 8. Prov. XV. 18. & XXIV. 20. XXIX. 22. &c. 2. Dicunt adjectum *de cavendâ vindictâ tam privatâ quam publicâ.* Matth. V. 39. &. Vindictam privatam prohibitam esse in V. Test. patet Lev. XIX. 18.

Prov.

Prov. XXIV. 29. Quod autem attinet locum Matth. V. sensus est: malum malo non esse retaliandum, sed potius perferendas injurias, quam ex animo exulcerato ad vindictam prosiliamus. Interim in Utroq; Test. moderamen in culpatæ tutelæ, quod juri naturæ innititur, locum habuit. Cæterum potissimum tria requiruntur ad moderationem inculpatæ tutelæ. 1. ut qui se defendit, habeat tantum animum defendendi, non simul flagrantē irâ, vindictæ cupiditate & similibus pestibus 2. ut fiat defensio in continenti, laborante adhuc maleficio cum præsentissimum est vitæ periculum &c. 3. Ut fiat similibus armis &c. Quod autem attinet vindictam publicam ea satis fundata est non in V. tantum Test. verum etiam in novo: ex quo tria nunc sufficiant loca, Matth. XXVI. 52. Rom. XIII. 4 Apoc. XIII. 10 Dices: ad locum Matthæi, esse tantum comminationem; non dici, per magistratum ad fieri debere. R. esse & comminationem & mandatum, simile illi Exod. XXI. 10. 12. *Qui maledixerit patri, morte morietur: qui percusserit hominem, & mortuus fuerit, morte morietur* Per quem autem id fieri debeat, clarissimè Rom. XIII. 4. ostenditur. Dices Apostolum loqui de magistratu infideli, & ostendere quid de facto eveniat, non quid de jure faciat aut facere debeat. Item: gladij vocem hìc accipi non propriè, sed per tropum pro quavis pœna. R. Huic glossæ obstat generale illud: *Non est ordinatio, nisi à Deo.* Item: *magistratus est Minister Dei, qui non frustra gerit gladium*: quæ verba non nisi de jure magistratus, & quidem cujusvis accipi possunt. Voluit autem Apostolus Juris Gladij, sive ultimi supplicij mentionem facere, non excludendo pœnas alias, sed ut tantò magis potestatem magistratus commendaret, tantoq; validius ad obediendum alios cohortaretur. Dices: ad locum Apocalypseos, contineri ibi vaticinium &c. Sed R. non tantum vaticinium inculcari, verum etiam jus magistratus, ex dictis manifestum est. Dices contra charitatem esse hanc vindictam, & contra tempus gratiæ, quod est sub N. Testamento. R. Si in V. Test. contra charitatem non fuit hæc vindicta, neq; in N. Test. contra Charitatem erit. Cæterum, non dicitur Novum Test. tempus gratiæ, respectu Rerumpublicarum, quæ tempore Novi Test. sunt; sed respectu Ecclesiæ, quæ non accepit spiritum servitutis ad metum, ut Synagoga Veteris Test. sed Spiritum adoptionis & gratiæ Rom. VIII 15. Denig; dices, licere quidem Magistratûs opem implorare, non autem licere à magistratu expetere vindictam. R. Hoc effugium nullum esse: vindicta enim

publica nihil aliud est quam opus, quo magistratus Dei jussu & autoritate juxta leges injuriam depellit, punitq; propter legitimos & salutares fines, videlicet propter exemplum: & hæc vindicta si expetitur, animo moderato nec flagrante vindictæ privatæ cupiditate, malevolentiâ, impatientiâ, nihil vitij habet.

§. 15. Ex ijs quæ dicta sunt patet, tertiò *additum* censeti, *ut Christiani simpliciter bellis abstineant.* Hæc adversarij putant esse contraria tum divinæ sanctioni Gen. IX. 9. ne fundatur sanguis humanus: tum charitati in proximum, deniq; professioni Christianorum, terrena contemnentium & sola cœlestia quærentium. Sed hæc leviuscula sunt: neq; enim loci Geneseos illa sententia est, quam fingunt adversarij; neq; contra charitatem esse bella possunt, aliàs inde sequeretur ne in Vet. quidem Testamento bella licita fuisse. Quanquam vero Christiani in terrenis non collocent suæ felicitatis proram atq; puppim, non tamen rerum terrenarum curam prorsus abjiciunt. *Siquis* enim *suis, & maximè domesticis non providet, is fidem abnegavit,* dicente Paulo, Tim. V. 8. qui capite præcedenti *pietatem* dixerat esse *ad omnia utilem, habentem promissionem hujus & futuræ vitæ.* Quare Bella quæ justâ de causâ suscipiuntur, videlicet ut repetamus res nobis per vim ablatas, & propulsemus injurias & scelera latronum publicorum, eosq; eâ qua par est severitate puniamus & coërceamus, talia, inquam, bella legitimè gesta, & talia supplicia quæ exercentur in maleficos & latrones publicos, fundantur in locis modo citatis ex Matthæo, Paulo, Petro, Apocalypsi. His addimus locum Pauli I. Tim. II. 1, 2, 3. Ex hoc loco non tantum illud patet, Deum velle, ut etiam Ethnici Magistratus convertantur, atq; ad agnitionem veritatis perveniant: verùm etiam hoc, ut tranquillitatem suis subditis præstent, quod in hac mundi senecta & face fieri sine bellis nequit & eo fine subditi tributa dare jubentur, tum à Christo Matth. XXII. 21: tum à Paulo Rom. XIII. 6. *Neq; enim quies gentium sine armis, neq; arma sine stipendiis, neq; stipendia sine tributis haberi queunt,* ut rectè Tacitus ait Histor. IV. Deinde producemus locum Luc. III 14. ubi Johannes Baptista ad milites: *Contenti estote* inquit, *stipendiis vestris.* Dices: Johannem non fuisse Evangelij doctorem, sed Christum. R. Hoc esse apertè contra Marcum l. 1. Lucam I, 77. ubi principium Evangelij à Johanne ducitur. Confer Lucæ III. 19. Unde etiam Johannes dicitur major esse Prophetis: prædicavit enim instare regnum cœlorum, & digito monstravit

ſtravit Agnum tollentem peccata mundi. Neq; Paulus aut Sergium Paulum ejurare magiſtratum, aut Tribunum ejusq; milites, quorum præſidio in itinere defendebatur, ne vim vi repellerent: neq; Petrus Cornelium centurionem monuit, ut militiam abdicaret, Quin ipſe Paulus Act. XXV. II. ita loquitur. *Si injuria quenquam affeci, & dignum aliquid morte commiſi, non recuſo mori.* Dices: obſtare bellis Matth. V. 39 *Ego vero dico vobis, ne obſiſtite improbo: ſed qui te cædit in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram.* R. Chriſtum hîc ſe opponere corruptelis Phariſæorum, qui, quæ Moſes de vindicta publica tradiderat, ad vindictam privatam trahebant. Cæterum horum verborum ſenſus eſſe abſolutus nequit: hoc enim ſi dicatur, & Chriſtus Joh. XIIX. 22. & Paulus Act. XXII. 25. contra hoc mandatum deliquiſſent; & propoſita tanta impunitate, omnia latronum & prædonum plena forent, fruſtra pro tranquillâ & quieta vitâ, in illo ſcelerum diluvio preces fierent. Senſus ergo eſt comparatus: Potius quam ut te ulciſcaris, cædenti maxillam dextram, obverte & alteram. Deniq; dices: Pugnare cum bellis *mandatum de Pace cum omnibus colendâ*, & hoc mandatum eſſe proprium Novi Teſt. R. Minimè vero, nam & in V. T. viguit, ut patet Pſal. XXXIV. 14.

§. 16. Pergimus ad præcepta reliqua. Ad Præceptum VI. dicunt eſſe in Novo T. additum. *Interdictum de interna mœchatione, 2. de ſcurrilitate. 3. de Polygamia & divortio, quæ in V. Teſt. fuerunt licita, in Novo non.* R. ad I. Internam mœchationem in V. Teſt. prohiberi. Prov. VI. 25. Jer. V. 28. Job. XXXI. 1. Ad 2. Scurrilitas & in genere omnis turpitudo prohibetur illo generali Lev. XI. 45. *Eſtote ſancti, ſicut Deus noſter ſanctus eſt.* Ad quod generale Petrus omnia vitæ Chriſtianæ præcepta revocat, 1. Pet. I. 16. Ad 3. Minimè fuiſſe licita, quatenus licitum idem eſt quod honeſtum, ſicut patet Matth. XIX. 5. quanquam fuerint licita, quatenus licitum idem ſignificat quod impunitum. Ad VII. Præceptum dicunt eſſe additum, 1. *ut omnibus hominibus maximè fidei domeſticis benefaciamus. 2. ut vendamus noſtra, & demus de eo eleemoſynas, 3. ut mutuum demus, nihil inde ſperantes. 4. ut nequis plus habeat, quam ad ſe alendum ſufficiat.* R. ad I. Etiam in V. Teſt. beneficentiam mandatam, maximè adverſum domeſticos fidei, patet ex Devt. V. 7 8. 11. Prov. III. 9. V. 16. Eſai. LVIII. 7. Prov. XXV. 21. Ad 2. Tenendum ibi Luc. XII. 33. *Vendite quæ poſſidetis, & date*

& date eleemosynam: non proponitur universale aliquod mandatum, quasi semper vendere nos oporteat nostra. Nam ut patet ex 2. Cor. VIII, 13. 14 ita danda est eleemosyna, *ne alii sit relaxatio, danti vero oppressio.* Sed mandatum illud Christi loquitur de tali hominis statu, qui necessarijs ad vitam abundat: & huic mandat, ut potius sua quibus abundat, ex parte distrahat, atq; ita secundum modum facultatum pauperibus succurrat. Sic legimus Act. I. 29. quod eleemosynas contulerint, prout cuiq; suppetebat. Ad 3. Alij locum illum Luc. VI, 33. explicant de fœnore alij de ipsa sorte. Quocunq; modo explicetur, nihil novi neq; inauditi in V. T. explicat, ut patet ex Exod. XXII 25. 27. Lev. XXI. 35. 38. Devt. XV. 11. 12 Syrac. IV. 2. seqq. Ad 4. &c. Contrarium doceri à Paulo 2. Cor. XII 14. Ad VIII. dicunt additum, *1. ut veritatem loquamur, nec mentiamur ex levitate, 2. ne judicemus alios. 3. ne imprecemur alicui.* &c. ad 1. Mendacia ex levitate profecta etiam in V. T. fuerunt prohibita. Exod. XXIII. 2. Lev. XIX. 11. 2. Temeraria judicia autem, obtrectationes &c. itidem tum illo generali, Diliges proximum tuum &c. tum in specie Lev. XIX. 16. Psal. C. I. 5. Prov. VIII 24. Ad 3. &c. Imprecari etiam licere in N. Test. ut patet exemplo Pauli Gal. V. 12. Act. XXVII. 3. Denig; ad IX. & X. Præc dicunt *adjectum quod habet Johannes de contemtu mundi.* Sed & hic mundi contemtus in fidelibus V. T. fuit. Davidis hæc vox est Psal. LXXIII. 25. 26. Abrahami Mosis aliorumq; Ebr. XI. &c.

ADDENDUM ad fin. §. 131

Verba Volkelij hæc sunt: Dicendum nunc de iis esset, quæ Christus huic præcepto addiderit, verum diligenter licet inquirentibus nihil tale occurrit, nisi forte ea, quæ de Parentum, Magistratuum, Dominorum, Maritorum, & contrà, Subditorum, Servorum, Uxorum officiis sacris literis prodita sunt, huc referri posse videantur: quæ tamen magna ex parte vel in ipsa lege fuerunt tradita, vel ipso rationis lumine cognoscuntur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0087
DFG

EXERCITATIONUM ANTI-
SOCINIANARUM
QUARTA
DE
CHRISTI SACERDOTIO ET REGNO

Quam,
DEO OPT. MAX:
MODERATORE
PRÆSIDE
Viro perquam Reverendo, Exellentiſsimo,
Clariſsimo,
DN. CASPARO MAURITIO,
SS. Theol. Doct. ejuſdemq; Profeſſ: Publ:
& Eccleſiaſte,
Publico eruditorum examini ſubjicit
CASPARUS MARTINI,
Rigâ Livonus.
Habebitur in Auditorio Majori
d. Novemb.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. 1650.

MMMM. 20.

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

§. I.

NUnc rectà contendimus ad Christi Sacerdotium & Regnum. De sacerdotio Christi miræ sunt adversariorum opiniones, ut & de regno Negant, Christum propriè dictum esse sacerdotem, negant mortem Christi esse sacrificium Christi expiatorium sive victimam pro peccatis, negant eùm nos redemisse ab ira Dei. Longe enim aliam mortis Christi causam comminiscuntur, quàm expressit Crellius adversum Grotium hisce verbis part. II. *Peccata nostra tum Deo, tum Christo vehementer displicent, ideoq; ipsius iram & pœnam provocant, temporariam, scilicet & æternam: nos ea considerantes spem salutis firmam concipere, & inter tot tantaq; mala constanter retinere non possemus. Ut hæc vis peccatis nobis adeò noxia tollatur, partim quidem ipsa peccata è nobis tollenda sunt; partim etiam evidentibus argumentis demonstrandum, nec præterita nostra scelera, si ab iis desistamus, nec lapsus nostros, qui pietatis cursui forsan interveniant nobis imputatum iri, & jus quoddam nobis dandum quo nos adversus Dei judicia tueamur: efficiendum denique ut fructus decretæ nobis remissionis ac salutis ad nos redeat. Hoc vero totum morte Christi interveniente effectum est. Atq; ita peccata nostra fuerunt causa impulsiva mortis Christi, charitati divinæ ergà nos convenientissima* &c. Hactenus Crellius. Nos dicimus hanc explicationem nimis esse dilutam, nec exhaurire vim φεύσεων scripturæ, quæ non tantum testantur, peccata nostra esse causam impulsivam mortis Christi verum etiam causam impulsivam meritoriam, ut pœnam peccatis nostris debitam loco & vice nostri penderet. Quia autem adversarij talem subrogationem sive successionem Christi in locum nostrum negant, ideo firmanda nobis ea est claris & validis scripturæ testimonis. Ut autem ordine & distinctè res geratur, primo, Christum loco & vice nostri cruciatus mortis temporariæ & æternæ subeundo victimam pro peccatis nostris sive sacrificium expiatorium obtulisse: secundo, & hoc quidem sacrificium expiatorium obtulisse in terris in cruce: tertio, hujus sacrificij expiatorij

aspectu potissimum esse Christum Sacerdotem propriè sic dictum: quarto, esse quoq; proprie dictum Redemptorem, Servatorem, & Mediatorem, qui interveniente precio sanguinis sui nos redemit ab ira Dei, sive nobis Deum iratum placavit & reconciliavit: quinto, Christum loco & vice nostri perfectam legi divinæ obedientiam præstitisse: sexto, obedientia passiva & activa vere pleneq; pro nobis satisfeciss, Deo gratiam aspirante, demonstrabimus.

§. 2. Ut autem constet Christum loco & vice nostri cruciatus mortis temporariæ & æternæ sustinuisse producimus loca Scripturæ Matth. XX. 28. Marc. X 45. Ubi dicitur Christus *venisse, ut daret animam suam* λύτρον ἀντὶ πολλῶν *pretium redemptionis pro multis*. Hic urgemus vocem ἀντὶ, quæ talem commutationem & successionem, cum de personis est sermo, omnino requirit ut patet ex Matt. II. 22. Quod si autem jungatur personæ ut personæ & verbo δοῦναι, requirit ut persona in genitivo græco indicata, idem genere aut specie daturus fuerit quod nunc alius dedit. Nec possunt adversarij incontrarium exemplum ex sacro codice adferre, adeoq; in loco Matt. XVII. 27. non tantum commutationem personæ & rei, verum etiam personarum agnoscimus, resq; ipsa loquitur. Atq, hæc tanto fortius constringunt adversarios si expenderint Christum se ipsum dedisse pro omnibus ἀντίλυτρον I. Tim. II. 6. Quâ voce expresse id quod diximus repræsentatur. Nempe nos eramus daturi pœnas, quos Christus loco nostro dedit. Hinc est quod dicatur pro nobis animam dedisse pretium redemptionis: quæ loquendi forma non potest aliud significare, quam Christum vitam amisisse, ut illud solveret, quod nos debebamus, ut cruciatus mortis sustineret, qui nobis propter peccatum sustinendi erant. Dices: cum captivi inter se permutantur, datur unus pro altero, εἷς ἀντὶ τοῦ ἑτέρου, neq; tamen alter in alterius locum succedit, non evadit vice alterius captivus, sed uterq; liberatur. Respondeo, liberationem hic contingere per accidens, quia videlicet redeunt ad suos. Longe autem alia ratio est Christi & nostri. In exemplo proposito unus captivus pro altero se non dat nec moritur, nec pretium sanguinis pro eo pendit, sed redimitur unius captivitas liberatione alterius per modum pretij æquivalentis. Dices & hic pretiũ quasi commutari cum captivo, sed ei non surrogari, adeoq; & in hoc pretio, quod Christus pro nobis solvit, non esse commutationem personarum, sed personæ & rei. Respondeo, Utrumq; scriptura inculcat.

est, & pretium sanguinis Christi dari pro nobis, & *Christum semetipsum* dedisse pro nobis Tit II. 14. Ephes. V. 25. Neq; intelligi potest quomodo pretium sanguinis Christi detur pro nobis, quomodo Christus animam suam pro nobis det, quomodo moriatur propter nostra peccata, ut tamen ipse Christus nobis non surrogetur, hoc est, loco & vice nostri moriatur, ut ex dicendis fiet magis perspicuum.

§. 3. Deinde urgemus loca, in quibus dicitur Christus mortuus ὑπὲρ ὑμῶν item ὑπὲρ ἁμαρτιῶν pro nobis, hoc est, vice nostri: propter peccata nostra, id est, ut peccata nostra expiaret. Loca sunt II. Cor. V. 25 εἷς ὑπὲρ πάντων Rom. V. 7. I. Tim II. 6. ἀντίλυτρον ὑπὲρ Tit. II. 14. I. Pet. II. 21. 24. c. III. 18. IV. 1. &c. Est autem usitata acceptio præpositionis ὑπὲρ pro ἀντὶ Rom. IX. 3. II. Cor. V. 20. Porro veram subrogationem esse in illis phrasibus patet vel ex uno loco II Cor. V. 15. *Si unus mortuus pro omnibus* Ergo *omnes mortui sunt*. Mori enim pro aliquo, ut ipse, pro quo quis moritur, censeatur mortuus, est mori loco alterius. Sic autem nec aliter explicandam esse particulam ὑπὲρ patet quoq; ex I. Cor. I. 13. ubi dicit Paulus: *An ego sum* ὑπὲρ ὑμῶν *crucifixus*? Finge hic Photinianam obtinere sententiam de utilitate, quod scilicet Christus propter utilitatem nostram, non autem vice nostri sit crucifixus, omnino dicendum est Paulum secum ipsum pugnare. Nam id non negat, se vel propter utilitatem Corinthiorum crucifigi posse, quod expressè Col. I. v. 24. dicit, se pati pro Ecclesia, id est, in utilitatem Ecclesiæ Neq; negari potest, multos martyres crucifixos pro Ecclesia sua in ejus utilitatem crucifixos, ut hoc pacto doctrinæ, quam confitebantur martyres, veritas confirmaretur, & obsignaretur. Atqui hos omnes secum excludit Paulus. Ad hoc nihil solidi, quod respondeant, habent adversarij. Adde loca parallela alia v. g. II. Sam. XVIII. 33. *Utinam pro te mortuus essem Filimi* &c. Adde etiam Loca illa ubi Christus dicitur mortuus διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, propter peccata nostra Rom. IV. 25. cum quo connectimus locum Rom. VI. ubi dicitur Christus τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανε, mortuus esse ob peccatum, & ita argumentamur: quoties phrasis ista propter peccatum jungitur perpessionibus, non potest significari alia causa quam impulsiva meritoria. Atqui hic illud fit. E. Major clara est ex sacris literis passim Lev. XXVI. 18 28. Deut. XVIII. 12. II Reg. XXII. 26. Jerem. XIII 12. Adversarij si possunt ullum locum producant in contrarium. Manet ergo mortem Christi rationem pœnæ habere,

adeoq; fuisse Christo inflictam propter peccata, tanquam causam impulsivam meritoriam, non quidem propria peccata, sed nostra. Dices mortem non esse pœnam peccati meritoriam. Resp. de hac quæstione agetur, cum bono Deo, in articulo de peccato originis.

§ 4. Plurima sunt, quæ contra solent afferre adversarij; nos unam atq; alteram ipsorum objectionem tangemus & excutiemus. Primo dicunt ex I. Joh. III. 16. clarum esse, Christum sic esse pro nobis passum, sicut nos jubemur pati pro fratribus. Respondeo, comparationem ibi quandam institui, nec hic urgendum omnimodam æqualitatem; simile non est idem. Christus ita dicitur animam ponere pro nobis, ut hic ipso dicatur pro nobis pretium redemptionis pendere ἀντίλυτρον Matth. XX. 20. 1. Tim. II. 6. At nos pro Fratribus nostris non ponimus animas nostras in pretium. Et accurate Paulus Col. I. 14. & 24. hæc duo distinguit: Christum & Martyres mori pro Ecclesia, Christum etiam pro Ecclesia redimenda, Martyres tantum pro ædificanda. Christus ita dicitur pro nobis fuisse mortuus, ut pro nobis factus sit peccatum; quod de nullo Martyrum vel Christianorum dici potest. Porro dicunt: si vice nostri mortuus esset Christus, nos mala, quæ Christus pro nobis perpessus est, perpeti non tenemur. Respondeo, rectè. Omnibus enim credentibus promisit Christus Joh. XI. 25. *Ego sum resurrectio & vita qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, & quisquis vivit & credit in me non morietur in æternum*: imo *transivit à morte in vitam* Joh. V. 24. Addent, si Christus redemit nos à mortis æternæ servitute, & in locum nostrum verè fuisset substitutus, æternæ mortis servitutem eum subire necessum fuisset. Respondeo, id quod intendunt adversarij, minime sequi; Deum enim ad mensuram nostrarum cogitationum revocare inconveniens est. Sufficit quod æternæ mortis cruciatus sustinuerit Christus quoad esse, neq; requiritur, ut eam sustinuerit quoad durationem. Nimirum addidit infinita Filii Dei virtus passioni naturæ humanæ pondus, valorem & æstimationem tantam, ut potuerit ἰσόρροπον, id est, æquivalens nostræ redemptionis λύτρον vel pretium esse. Dices, sic non fuisse opus tam acerba cruenta & ignominiosa morte, sufficisse effusionem unius sanguinis guttulæ. Sed hac de re infra dicetur. Dices, pœnam non fieri majorem pro ratione personæ, & in pœnis non debere attendi respectum personarum. Respondeo, ex Ethicis constat, pœnas infligi secundum proportionem Arithmeticam, quæ respectum personarum

excludit. Interim accuratè discernenda est proportio, quæ inter delictum & pœnam esse debet, à terminis proportionis, ideſt, à delicto & pœna. Ipso proportio est Arithmetica, præcise spectans æqualitatem damni & lucri, præcise spectans compensationem & exæquationem delicti & pœnæ exclusa προσωπολημψία id est, respectu personarum. Cæterum in terminis proportionis omnino attendenda est persona, sicut patet: nam nec delictum suo pondere librari aut exigi potest, nisi cum aliæ circumstantiæ actionem moralem ingredientes, tum etiam personæ agentis & facientis spectentur. Eadem ratio est in pœnis, quæ itidem pro qualitate personarum nunc minores, nunc majores fiunt. Quia itaq; pœnam pro nobis sustinuit ipse Filius Dei in assumpta carne, hinc passionis illius tantus est valor, ut sit par pœnis quorumcunq; hominum peccatis debitis, & hinc adeo fit, ut in scripturis dicatur *Dominus gloriæ crucifixus*, quia utiq; dominus gloriæ erat, cum crucifigeretur Joh. XVII. 5. & alias nil miri fuisset, si Principes hujus seculi non cognovissent eum qui eo tempore, cum crucifigebatur, non erat dominus gloriæ. Demum dicunt, injustum esse, ut unus pro altero plectatur. Respondeo, cultioribus gentibus placuisse, ut unus posset pro altero capitaliter plecti, sicut id docent vades & obsides. Vadimonium autem Christi sufficienter probatur Heb. VII. 22. Ubi Christus dicitur melioris fœderis ἔγγυος Sponsor, idq; pro hominibus apud Deum ut patet ex Ebr. X. 7. 10. *Tunc dixit Ecce adsum (in capite libri scriptum est de me) ut faciam Deus, voluntatem tuam. Qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel factam.* Sed hæc ex sequentibus clariora erunt.

§. 5. Veniamus nunc ad alia loca, in quibus vicaria hæc pœnæ persolutio ipsis solis radiis perscripta exstat. Primum locum merito sibi vendicat Esa. LIII. 4. *Vere languores nostros tulit, & dolores nostros bajulavit: dolore afficitur propter defectiones nostras, atteritur propter iniquitates nostras, castigatio pacis nostræ super eum, & vibice ejus curatio nobis Jehova facit ut incurrat in eum pœna omnium nostrum, exposuit seipsum sacrificium pro reatu, iniquitates ipsorum ipse bajulavit & pertulit.* His Esaiæ verbis non significari simplicem remotionem vel abolitionem peccati (quanquam hæc ipsa non excludatur, quæ ceu effectus gestationem peccatorum nostrorum sequitur) ut volunt Socinani, sed receptionem & gestationem tum phrases, tum contextus tum collatio simi-

lium

lium locorum clarè demonstrant. Est enim hic נָשָׂא quæ vox semper portationem significat sicut Græcum βαστάζειν. Confer Exod. XXVIII. v. ult. Num. XIV. 33. Ezech. XVIII. 19. 20. Matth. XX. 11. Gal. VI. 5. Gal. V. 10. Favet insuper contextus expositioni orthodoxæ. Ita namq; dicitur Christus peccata nostra portasse sive tulisse, ut propter prævaricationes nostras vulneratus & propter iniquitates nostras attritus sit, ac propter scelera nostra castigatio pacis nostræ super eum fuerit, ut. Dominus conjecerit in eum peccata omnium nostrum, iniquitates quibus fuerit oppressus atq; afflictus, ut propter prævariationes nostras ipsi plaga fuerit, Jehovah eum conterere voluerit ac ægrotare fecerit, anima ipsius *laboraverit*. Confer Esaiæ XXXXIII. 24. 25. Ubi dicit Christus: *me servire fecisti propter peccata tua &c.* Ad quem locum excipiunt Sociniani, primò hæc verba non esse accipienda de Christo: secundo, commemorari rem præteritam, Me servire fecisti: tertio, sensum esse hoc loco, magnam Deo molestiam creatam κατ' ἀνθρωποπάθειαν, quam propter peccata Judæorum sustinuerit quod tam puniendo, quam redimendo fieri potuerit. Respondeo, ad primum: de Christo esse accipienda hæc verba patet, quia anima Christi laboravit propter peccata nostra & ipse in mundum venit, ut serviret atq; animam suam pretium redemptionis daret pro multis Esaiæ LIII. 2. Matth. XX. 28. & propter solum Christum remittuntur & delentur peccata nostra Luc. XXIV. 47. Act. IV. 11. X. 24. Eph. I. 7. &c. Ad secundum respondeo, objectionem esse futilem, Prophetas enim de rebus futuris tanquam de præteritis certitudinis insinuandæ causa loqui, liquidum est vel ex ipso Esa: LIII. *verè languores* tulit & C. IX. Puer *natus est nobis*. Ad tertium Respondeo, τὸ posse minime satis facere, imò contrarium esse textui, in quo Deus introducitur, non tanquam iratus judex & puniens, sed tanquam placatus servator, qui peccata deleat propter seipsum cum alium modum remissionis peccatorum & justificationis non haberent judæi 26.

§. 6. Sed plurima sunt quæ ad I. Esa: LIII. excipiunt Photiniani: pauca delibabimus. Primo dicunt non posse hic significari aliud quam ablationem morborum & languorum nostrorum per interpretationem Matth. Evangelistæ Matth c. VIII. 16. & 17. Sed respondeo, ablationem non excludi in verbis Esaiæ, sed includi tanquam consequens, & propterea ad hanc respici in verbis Evangelistæ, ipsam autem gestationem

nem & receptionem pœnarum peccati in verbis Prophetæ intelligendam primariò & principaliter, tum ex vi phrasium tum ex contextu, tum deniq; ex locis similibus demonstratum. Dicunt secundo, ad eum modum Christum dici posse portasse peccata, secundum quem hircus Levit XVI. 22. dicitur portasse peccata. At hircus in se non recepit illam pœnam, ergo nec Christus. Respondeo hircum portasse typice seu fuisse typum Christi anti typi. Christum autem vere portasse, testantur Esaias *verè ipse tulit* & Joh. I. 17. 29. *gratia & veritas per Christum facta est*. Dices quemadmodum per hircum illum nõ ideo peccata auferebantur, quod ipsi hirco imputarentur: sed quia peracta tota illa ceremonia perinde à peccatis populus universus liberabatur, ac si hircus ea secum in desertum asportasset: sic etiam per Christum peccata non ideo auferuntur, quia ipsi à Deo imputata fuerant, sed quoniam iis peractis, quæ per Christum & in Christo peragenda erant, peccata nostra à nobis quam longissime recesserunt: non secus ac si Christus ea omnia secum in terram aliquam inhabitabilem & in accessam asportasset. Respondeo, vim fieri texui Mosaico, qui testatur, quod Aaron super caput hirci confessus fuerit iniquitates populi Israel, quod omnia eorundem peccata posuerit super caput hirci, quodq; hircus ille impurus habebatur, ita ut omnes qui tangerent illum impuri putarentur. Unde consequitur, hirco typicè, Christo verè omnium hominum peccata imputata esse quod flagitat vis verborum apud Esaiam; peccata enim portare patiendo, ut alii consequantur impunitatem & pacem, aliud indicare non potest, quam alienæ pœnæ susceptionem, adeoq; non sufficit dicere Christum ex occasione peccatorum nostrorum sit afflictus, sed revera imputata sunt ipsi peccata nostra. Excipies amplius verba Esaiæ, quæ nos ita vertimus: Dominus impegit vel coniecit in eum peccata omnium nostrum, non esse ita vertenda, sed hoc modo Deus occurrit per ipsum vel cum ipso iniquitati omnium nostrum. Respondeo פגע proprie significat occurrit, in Hiphil occurrere fecit, unde metaphoricè notat deprecari; sed significatio deprecationis hic esse non potest E. ex vi contextus signabit occurrere, sive incursare fecit, impegit. Et sic cohæret optime textus הפגיע בו in eum & עון iniquitatem. Dices posse dici impacta fuisse Christo peccata omnia, quis illorum causa tam acerbam mortem sustinuerit, non autem quod proprie dictam pœnam pertulerit. Respondeo, pœnam hic intelligi, patet ex contextu, videlicet ex castiga-

tione, quæ profecto non potest non esse pœna, & pœnæ rationem habere, sive sit παράδειγματικὴ sive ἀνθεπικὴ tantum. Nec obstant loca II. Cor. VI, 9. & Psalmo LXXIII. 14. In priori enim loco intelligitur παράδειγματικὴ quam mundus Apostolis infligebat: in posteriori ἀνθεσία. Dices castigationem opponi paci, quæ vox notat felicitatem, quietem. Inter punitionem autem & pacem non est vera ἀντίθεσις, quemadmodũ inter afflictionem & pacẽ. Respondeo, primo illam ἀντίθεσιν hic frustra urgeri. Secundo omnino etiam est ἀντίθεσις inter castigationem & pacem, quod ne ipsi quidem Photiniani negare possunt, contendentes inter afflictionem & pacem veram esse ἀντίθεσιν. Atqui omnis castigatio veri nominis afflictio est. Tandem Esaias non tam opponit pacem pœnæ, quam ostendit pacem nostram, id est, reconciliationem amicitiæ cum DEO (quem introduxit Esaias iratum qui propter nostra scelera Christum percusserit, & eum conterere voluerit, ut nos à pœnis liberaremur) tanquam effectum promanare ex punitione Christi, tanquam causa. Ideo enim Christus est punitus, ut nos pacem haberemus. Confer Rom. V. 1. 9. 10. Col. I. 20. Dices, per castigationem hanc intelligi ἀνθεσίαν s. emendationem, non respectu Christi sed respectu nostri, ut elegans sit in verbis Prophetæ argutia: imo ex morte Christi intelligi quam severè sit ulturus Deus peccatores. Et hoc respectu mortem Christe esse παράδειγμα. Respondeo primò, apage tales argutias, quæ ex nullo apice contextus possunt firmari. Secundo, unius positio non est alterius exclusio. Rectè dicitur ex morte Christi elucere severitatem Dei adversum peccatores. Neq; tamen inde evertitur nostra thesis, Christum vice nostri esse mortuum. Idem respondendum ad exceptionem illam, qua dicunt Photiniani, phrasin hanc *Livore ejus sanati sumus*, eandem esse cum hac: conversi sumus à perditione in viam salutis. Utrumq; enim verum est, & culpam pœnamq; nostram in Christum translatam esse, & inde consequi nostram conversionem, mortificationem Veteris hominis & instaurationem novi.

§. 7. Secundo producimus locum I. Petri II. 24. ubi dicitur Christus ἀνήνεγκεν sive sustulisse peccata nostra corpore suo in crucem. Dices, si hic portandi esset significatio, utiq; Petrus non ἀνήνεγκεν sed ἤνεγκεν dixisset.

dixisset. Confer Ebr. IX. 28. Respondeo τὸ ἀνενεγκεῖν non posse hic significare simplicem ablationem, sed molestam quandam peccatorum nostrorum portationem, ex vi phrasium & contextu manifestum est. Dicitur enim Christus in corpore suo sustulisse, idest, sursum tulisse in crucem peccata sive pœnam peccatorum nostrorum, id est, Christum cruci affixum in proprio suo corpore patiendo & moriendo peccata nostra vel pœnas peccatorum nostrorum pertulisse. Non autem possunt Sociniani ullum exemplum idoneum proferre, ubi ἀναφέρειν significat simplicem ablationem. Porro si Christus tantum abstulit peccata non etiam portavit cum molestia, & pertulit loco nostro, nulla est ratio consequentiæ in contextu: Christiani patienter debent ferre molestias, quia Christus abstulit peccata. Sed optima est consequentia secundum nostram explicationem, si Christus innocens cum esset, pro nobis tam patienter voluit perferre pœnas peccatis nostris debitas, multo magis nos peccatores patienter ferre calamitates debemus. Ad locum ad Ebræos IX. dicimus non hic esse aufferendi sed sursum ferendi & perpetiendi significationem. Opponuntur enim inter se duo adventus Christi: prior quo peccata nostra tulerit alter quo nullis peccatis oneratus erit. Non sunt autem opposita peccata aufferre & esse sine peccato: sed esse peccatis onustum & non esse. Dices non quadrare hanc explicationem; jubemur enim eodem modo ferre injurias, sicuti Christus pertulit, Atqui nos non aliorum loco toleramus. Ergo nec Christus. Respondeo, proponitur hic exemplum Christi, Christianis imitandum; ad exemplum autem sufficit generalis similitudo utut magna sit differentia in modo speciali. Jubemur tolerare calamitates patienter, sicut Christus non autem eo fine, sicut Christus pertulit pœnas peccatorum nostrorum, videlicet pro iis satisfaciendo. Hic enim modus est specialis soli Deo competens. Dices: sic nullam esse in textu cohærentiam, dicitur enim Christus ideo mortuus esse pro peccatis nostris, ut nos peccato mortui, justitiæ viveremus. Hæc autem duo pœnas peccatorum nostrorum persolvere, ut nos peccato mortui, justitiæ vivamus natura admodum sunt separata, & non nisi ex accidente hoc illius consequens est, sicuti etiam ex eo quid quis alicujus debitum solverit, non sequitur eum nullum æs alienum vellejam ab ipso contrahi &c. Respondeo primo, conjunctissima sunt, quæ Sociniani putant esse separata.

Christus enim non tantum à reatu peccatorum nos liberavit Rom. VIII, 1, sed & à culpa sive peccato, ut peccatum non amplius dominetur nobis Rom. VI, 14. Hoc enim fine partum nobis beneficium Spiritus Sancti impartitur, qui in cordibus nostris testatur nos esse Dei filios & consequenter, ut Dei filios gerere nosmet oporteredemonstrandam q; gratitudinem & detestationē peccati, quod tam acerbā & ignominiosam Servatori nostro mortem attraxit. Secundo Deus non tantum ut creditor est in hoc negotio considerandus, cui nos ob peccata sumus debitores verum etiam ut judex severè puniens peccata, quiq; in innocente filio suæ severitatis exemplum tale proposuit, quod nos à contrahendo novo peccatorum debito arcere & abstinere debet.

§ 8. Cū duobus his Esaiæ & Petri loci conferimus II. Cor. V. 21. Ubi notandum apud Hebræos peccatum pro pœna peccati frequenter usurpari, tumetiam pro eo qui pœnam luit peccati, & pro hostia piaculari, quæ pro peccato offertur. Vide Levit. IV. 29 c. V. 6. & hoc modo Esaias dicit de Christo, quod posuit peccatum animam suam, & Paulus II. Cor. V. 21. *Eum, qui peccatum non noverat*, hoc est, qui pœnam ipsam non merebatur, *Deus peccatum fecit* hoc est, pœnas ferre voluit peccatorum. Dices Christum innocentem, Deo volente ac curante, sic fuisse tractandum ut peccatores & transgressores legis tractari solent: hanc & non aliam esse hujus loci sententiam. Respondeo hanc interpretationem nimis esse dilutam & evertere verborum virtutem: Deus ipsum fecit peccatum, imò ipse Christus suam animam posuit peccatum Es. LIII. Et notanda est ἀντίθεσις inter peccatum & justitiam. Dicit enim Paulus: Eum esse factum peccatum *pro nobis*, & *ut nos fieremus iustitia Dei in eo*, id est ut nos coram Deo justificaremur, & absolveremur à pœnis in judicio Dei, Christus tanquam sponsor noster pœnas pertulit. Deinde affligi innocentes, non est rarum, afflictos esse innocentes Apostolos & Martyres notum est, & afflictos esse in utilitatem ecclesiæ, sive pro ecclesia, neq; tamen eos quisquam dixerit à Deo esse peccatum factos. Dices: ideo Christum pro nobis esse tractatum ut peccatorem & morti traditum, ut fides fieret remissionis peccatorum emendantibus vitam. Respondeo, hæc causa potius ad prædicationem, & resurrectionem Christi, quam ad mortem pertinet. Prædicavit enim & resurrexit ut fides fieret remissionis peccatorum emendantibus vitam, nusquam autem scriptura dicit Christum prædicasse vel resurrexisse, propter peccata vel pro peccatis nostris, mortuum verò dicit sæpissime.

Quin

Quin Rom. IV. v. ultimo manifesta est distinctio mortis Christi pro peccatis nostris, & resurrectionis, morti tribuitur meritum, & satisfactio, resuscitationi applicatio, dum Christus resurgens à mortuis sedensq; à dextris Patris partam morte sua justitiam hominibus credentibus per vocem Evangelii & Spiritum suum sanctum impertit atq; communicat.

§ 9. Huc pertinent loca Gal. III. 13. 14. & Psal. XXII. 1. In priori loco *Christus* dicitur *pro nobis facta exsecratio*: unde consequitur, eum sustinuisse cruciatus mortis utriusq;. Maledictio enim & exsecratio sunt necessariæ pedissequæ mortis æternæ, secundum illud Matth. XXV. *Ite maledicti in ignem æternum*. Et clarum est intelligi exsecrationem, quæ in Legis comminatione continetur: hæc autem mortis temporiæ est, & multò magis æternæ. Dices, non posse dici Filium Dei carissimum, tum temporis fuisse exsecrabilem Deo, quo tempore ipsi maximè obediebat, & præstabat opus in suavem odorem DEO, propter quod postea est exaltatus &c. Respondeo, hanc exceptionem contra ipsum Sp. S. ficti. 2. Christus non erat execrabilis in se & propter scelera sua (in se spectatus erat DEO charissimus) sed propter scelera nostra, quæ nos faciebant execrabiles & Deo invisos. Ex posteriori loco patet, Christum à Deo desertum esse: unde sequitur, eum summum malum sensisse, quod non potest aliud esse, quàm cruciatus mortis æternæ. Dices: respexisse hic Chirstum ad dolores & cruciatus crucis, qui per se erant corporis &c. Respondeo ἀγωνίαν Christi in cruce, ut & in horto, non corporis tantum erat, verum etiam imprimis animæ ut patet ex Matt. XXV. 37. 38. Marci XIV. 33. Fruitio Dei ac gratiæ ipsius animæ competit non corpori, unde sequitur eidem animæ etiam competere derelictionem, quæ tamen non facta est ratione hypostaseos, sed gratiæ. Dices: si gratiam divinam Christus non sensisset, non potuisset adeo composita & intrepida mente esse, cum sisteretur presbyterio, Pilato, Herodi. Respondeo, habuisse hunc desertionis divinæ sensum sua intervalla.

§. 10. Ex locis hactenus citatis, ut ex toto capite IX Epist. ad Hebreos patet, mortem Christi esse sacrificium expiatorium sive victimam pro peccatis. Socinus sacrificium pro peccato sive expiatorium dici contendit: primo, quod Christi mors fidem in generando nos à peccato in posterum retrahat: secundo quod mors ipsa antecedens proximum sit ad peccatorum remissionem consequendam: tertio quod ipsi

remissioni aut decreto de eo facto testimonium quasi prebeat quin & quarto, expiationem quoq; tribuit patefactioni divinæ voluntatis. Sed hæ omnes interpretationes excepta secunda, sunt alienæ. Prius quam autem id probetur, notandum est, magnam esse similitudinem inter sacrificia Veteris Testamenti & sacrificium Novi Testamenti, hoc est, Christum. Primo in hoc conveniunt, quod utraq; habeant sanguinis effusionem, sine qua non fit remissio Hebr. IX. 22. seqq. Ubi Apostolus illam impetrationem remissionis per sanguinem appellat ἁγιασμὸν & καθαρισμὸν v. 14. 22, 23. In Veteri testamento victimæ erant pecudes v. 12. in Novo Testamento Christus idem Sacerdos & victima 14 & 24. Expiatio Veteris Testamenti est ὑπόδειγμα & Antitypon Novi 23. 24. &c. Errat autem gravissimè Socinus, contendens solum sacerdotem summum solamq; anniversariam expiationem, de qua agitur Lev. XVI. Christi & sacrificij ipsius figuram gessisse, aut certe sola quæ pro populo fierent, & stata sacra. Testatur enim Epistola ad Hebr. IX. 13. quod etiam sanguis taurorum & hircorum & cinis iuvencæ fuerint figuræ oblationis Christi, quæ tamen ad solenne reconciliationis sacrum non pertinebant. Conf. c. X. 6. 8. Omnia ὁλοκαυτώματα omnes hostiæ pro peccato, quæ secundum legem offerebantur, cum sacrificio Christi conferuntur, tanquam typi purgationis factæ per Christum. Sic & ad Hebr. X. 2. quotidiana sacrificia cum Christi sacrificio comparantur. Neq; audiendus est Socinus qui quotidie exponit per quotannis: Nunquam enim vox quotidiè in Novo Testamento vel alibi ita accipitur. Huc pertinet quod Col. II. 17. & Hebr. X. 1. Universa legis Mosaicæ instituta dicant umbra futurarum rerum, corpus autem Christi. Deinde consistit illa similitudo sacrificiorum V. & N. Test. in hoc, quod sacrificia legis sanctificabant ad purificationem carnis Heb. IX. 13. hoc est, satisfaciendo pro peccatis etiam gravioribus à pœna carnali liberabant, ut scilicet esse delinquentes membra politiæ Israeliticæ possent neq; propter immunditiem & neglectum sacrificij exscinderentur; Christi autem victima abstulit reatum mortis æternæ, sicut legales victimæ reatum mortis temporalis, ac proinde in Veteri Testamento liberatio erat temporalis, in Novo Testamento per sacrificium λύτρωσις αἰώνιον ad Hebr. IX 12. Non hic audiendi sunt Sociniani, contendentes pro gravibus peccatis sacrificia non fuisse instituta: contrarium

enim

enim patet ex Levit. IV. 2, V. 6.7.8. 14. seqq. VI. 1. 6. Sic Num XVI. cum Deus grandia scelera publica miraculosa morte puniret intercessit Aaron cum thuribulo & populum expiavit. Sic II. Samuelis XXIV. 24.25. peccatum Davidis, quod plurimorum morte vindicari cæperat, tandem sacrificiis ipsius expiabatur, ut Jehova terræ placaretur. Adde Levit. XVI. 21. 22. 30. descriptionem sacrificij anniversarii, quo expiabantur omnia peccata, omnes iniquitates omnes deniq; defectiones filiorum Israelis. Relinquitur ex dictis, omnia sacrificia Veteris Testamenti adumbrasse mortem Christi. De qua re videantur Cl. Franzij disputationes de sacrificiis, quarum summa huc redit: Si sacrificia non cœperunt nisi cum promisso Messia, teste scriptura: secundo si eadem non nisi circa locum exhibendi Messiæ vigere debuerunt: tertio, si non debuerunt peragi, nisi à populo ex cujus semine erat proditurus Messias: quarto si non debuerunt durare, nisi ad tempora Messiæ: quinto, si post passionem Messiæ abrogata penitus fuere nec unquam restitui possunt, sequitur quod sacrificia semper digito intento monstrarunt Messiam. Atqui prius verum, E. & posterius. Hæc Franzius, qui tabernaculum priscum nullas habens fenestras, significasse umbras sacrificiorum disputatione quarta: ignem sacrificiorum cœlestem significasse iram cælestis Patris adversus Christum sustinentem peccata generis humani disputatione quinta: sacrificia Veteris Testamenti fuisse aliquid sacramentale, propter verba promissionis, & pertinuisse ad Evangelium, quia lapsum sunt secuta, non ad legem, quæ etiam ante lapsum &c. disputatione duodecima multaq; alia præclara scituq; dignissima docet.

§. 11. Satisfeciisse autem victimas legales Vet. Test. pro peccatis judæorum hoc sensu, quod vicem peccantium Judæorum sustinuerint victimæ, quæ offerebantur, patet ex Levit. c. XVII. 11. Ex quo loco clarum est, animam pecudis Deo sic disponente & instituente in se recipere peccatum animæ humanæ atq; ita offerri ad delicta humana expianda: unde consequitur animam pecudis offerri loco seu vice hominis in sacrificio; hominemq; expiare. Quod cum dico, non tribuo expiationem sacrificiis illis in se consideratis & à signato suo distinctis: tota enim expiatio illis tribuenda, quatenus aliquid sacramentale continuerunt & meritum Christi quod figurarunt, credentibus applicaverunt. Sanguis enim Jesu Christi emundat nos ab omni peccato I. Joh. I, 7. & ipse est propitiatio pro totius mundi peccatis c. II, 2. Dices, in loco

Levit.

Levit. nihil aliud dici, quam sanguinem in quo est pecudis anima, expiare super animam, aut in anima, at hoc non significari, sanguinem esse vice animæ humanæ, sed animas à labe ipsis aspersas sanguine expurgari & à reatu liberari. Respondeo verba Levit. sunt clariora, quam ut ab hoc glossemate obscurari queant. *Anima cujusq; carnis in sanguine, Ego vero destinavi vobis eum in altari ad expiationem faciendam pro animabus vestris Nam sanguis est qui pro anima expiationem facit.* Ubi manifesta est subrogatio animæ pecudis in locum animæ humanæ, unde etiam reus manu suâ niti debebat super caput holocausti, ut patet Levit I. 4. XVI. 28. Quin ipse Sacerdos offerens dicebatur reorum iniquitates portare Levitic. X. 17. Dices amplius: expiare non esse placare aut satisfacere, dici enim de Deo Deus XXI. 8. Christum quoq; posse dici expiare, etiamsi neminem placet. Respondeo, quod in sacrificiis placatio Dei familiam duxerit patet tam ex Levit. I. 9. 13. 17. Ubi manifeste ostenditur ex odore holocaustorum Deum incipere quiescere & placari, tum ex Iob. XLII. 8. Ubi Deus pro amicis Iobi offerri voluit sacrificium, ne iratus in eos animadverteret, id est, ut propitius ipsis redderetur. Vide Num. XVI. 2. Sam. XXIV. 14. 25. &c. Deinde τῷ Expiare aliam significationem sortitur, cum Deo, aliam cum Sacerdoti, aliam cum victimæ tribuitur. Nam Deus expiat reatum dimittendo, quia placatur; sacerdos expiat impetrando illam remissionem per victimam: ipsa victima quatenus eâ reo substitutâ remissio impetratur: Christus autem sacerdos idem est & victima adeoq; *expiationem fecit per semetipsum peccatorum nostrorum* Heb. 1. v. 3. Dices morte bestiæ non potuisse compensari multorum hominum peccata, nec ullam esse communionem inter hominem & bestiam. Respondeo, hoc est contradicere ipsi Spiritui Sancto, ipsi Deo, qui hunc ordinem sanxit & hanc legem sacrosanctam esse voluit de victima pro peccatis offerenda, ut sic in bestiæ morte ostenderet quod homo esset commeritus. Deinde conjunguntur homo & bestia tanquam possessor & res possessa, unde reus de suo dare jubebatur Levitici I. 7. 11. Sed quid opponunt sese ratiunculæ humanæ divinæ, de qua constat, voluntati? Ex dictis constat, quid de interpretationibus Socinianorum supra positis sit sentiendum. Nempe sicut sacrificia V. T. non nisi consequenter abstrahebant à peccato, &c. & erant aliquod antecedens requisitum ad remissionem, quod ostendunt verba legis *expiabit & remittetur*: imo erant causa instrumentalis ipsius remissionis,

missionis, quatenus erant aliquid sacramentale: sic etiam sacrificium, quod obtulit Christus, propriè & proximè non abstrahit à peccatis, aut remissioni peractæ testimonium præbet &c. Sed fuit antecedens tale, quo impetrata nobis est remissio peccatorum, sicut docet Paulus Rom. V. 10. *Si cum inimici essemus, reconciliati fuimus DEO per mortem filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.* Ubi nota, redemptionem dici impetratam morte Christi, & distingui ejus mortem à resurrectione vita gloriosa. Magis absurdum est, quod statuunt de patefactione voluntatis divinæ, cui etiam dicunt Sociniani attribui expiationem aut καθαρισμὸν seu ἁγιασμὸν, sed nullum locum ex scriptura possunt proferre, in quo significet vox ἁγιασμὸς cognitionem, aut cognitionis ingenerationem.

§. 12. Idem notandum de finibus mortis Christi, quos assignat Crellius. Quorum primus est, *ut novum fœdus promissaq; in eo comprehensa confirmaret, & jus quoddam nobis ad ea obtinenda daret, hoc modo si Christus post mortem excitatus est ad vitam æternam, utiq; & nos exitatum iri, ejus exemplo certi reddimur, atq; sic morte Christi confirmata est nobis remissio peccatorum.* Verum respondemus hæc adducta clara scripturæ litera probari non posse. Quin potius resurrectione Christi nobis confirmatur remissio peccatorum & jus vitæ æternæ, quam morte Christi: mors enim per se non ducit ad vitam æternam nec infert resuscitationem. Cæterum quomodo resurrectio Christi confirmabit nobis remissionem peccatorum? cum longe alia sit ratio Christi utpote filij Dei, expertis omnis peccati, qui non indiguit remissione peccatorum, eo quod mandata Dei exactissime semper observaret, alia ratio hominum cæterorum, in quibus contrarium apparet. A diversis mala fit illatio. Alter finis secundum Crellium est *ut omnes homines ad conditiones novo fœderi insertas, amplectendas & exequendas adducerentur, idq; Christi exemplo puta ad fidem, obedientiam, charitatem, patientiam* &c. Respondeo, exemplum sanctimoniæ potius habemus in vita Christi, quam in ipsius morte. Quanquam enim insignem gradum patientiæ morte sua exhibuerit, tamen tota vita virtutes supra nominatas coluit, ut nec patientia, nec reliquæ virtutes mortis Christi sint peculiares aut propriæ. Secundo exemplum illud Christi magis ad sanctificationem, quam ad remissionem peccatorum pertinet, inter quas immane esse discrimen patet, cum ad sanctificationem opera ista pertineant, justifi-

catio autem & remissio peccatorum sit gratuita Rom. III 14. Tertius finis quem morti Christi attribuit Crellius est, *ut Christus hoc pacto misericors ponti fex effectus, supremus in omnia potestatem adeptus peccata nostra expiaret, tentatis opem prompte ferret, & promissa fœderis conditiones ejus servantibus re ipsa exhiberet* &c. Respondeo hanc potestatem interris quoq; habuit, nec demum post resurrectionem eam potestatem adeptus est, sicut patet Joh XIII. 3. Matt. IX. 6. Ubi etiam in terris peccata condonandi jus habuisse dicitur. Confer exemplum latronis cum Christo crucifixi, quem Christus etiam ante resurrectionem in paradysum secum transtulit. Nec possunt Photiniani pro confirmanda sua illa nova sententia de finibus mortis Christi ulla scriptura loca proferrre. Dices ad locum Matt. IX. intelligi ibi potestatem temporarias pœnas auferendi &c. Respondeo, ibi potestas remittendi peccata tribuitur Christo filio DEI at remittere peccata est reatum peccatorum auferre, culpa enim præcise tanquam facta, infecta reddi nequit. Reatus autem intelligitur ratione pœnarum temporalium & æternarum, Ergo etiam absolutio seu liberatio respectu utriusq; pœnæ intelligenda. Quæ enim esset remissio peccatorum, si tantum homo liberaretur à reatu pœnarum temporalium, manente reatu pœnarum æternalium? Nec de potestate pœnas temporarias auferendi v. g λύσιν, sed de potestate remittendi peccata quæstio erat instituta.

§ 13. Hæc de Thesi prima sufficiant. Nunc demonstremus *Christũ sacrificium suũ expiatoriũ obtulisse in terris.* Sociniani dicunt Christum illud sacrificium suum expiatorium in cœlo consummasse adeoq; mortem Christi tantum fuisse præparationem victimæ sacrificij & sacerdotij Christi, in cœlis autem demum sacrificium perfectum. Nos autem Christum peregisse oblationem in ara crucis, sic probamus: Primò θυσία tunc peragitur, cum victima datur morti. Sacrificium Christi est θυσία. Ergo sacrificium Christi tum peractum est, cum morti datus est Christus. Major constat vel ex confessione ipsius Crellij contra Grotium pag. 533. ubi largitur θυσίαν proprie mactatione perfici. Minor clara est Eph V. 2. Heb. IX. 25. X. 12. Ad locũ ad Eph. exipiunt adversarij oblationem non intelligi de corpore sed de facto Christi, hoc sensu, ipsum factum Christi, quo se pro nobis obtulit, esse victimam & oblationem coram Deo, quò ipso ejus charitas commendetur, sicut & beneſi-

beneficentia dicitur victima &c. verba quoq; illa, in odorem bonæ fragrantiæ non tribui sacrificiis expiatoriis sed potissimum & ferè semper sacrificiis non expiatoriis. Respondeo, hoc ultimum falsum est, sicut patet ex Levitici I. 4. 9. 13. 17. IV. 31. Cæterum nullam interpunctionem agnoscit græcus textus, nullam versio Syriaca inter παρέδωκεν & προσφορὰν, adeoq; uterq; accusativus *seipsum hostiam* regitur ab eodem verbo. Unde dicitur cum validis lachrymis obtulisse se Christus ad Heb. V. 7. quod de præsentatione in cœlis intelligi nequit. Dices ad Heb. IX. talem oblationem significari, quæ non per mortem in passione sed in cœlo peracta sit per præsentationem Christi, sicut mactatio pecudis in V. T. non fuerit pars sacrificij legalis, sed ad illud tantum præparatio, oblatio autem facta dicitur in ingressu in sanctuarium. Respondeo, hanc glossam cum textu pugnare. Dicit enim Apostolus ad Heb. IX. 26. Christum non debuisse sæpius *offerre* seipsum, alioqui oportuisset ipsum sæpius *pati* à constitutione mundi. Nullus hic est nexus sermonis Apostolici, nisi oblatio hic intelligatur, de illa oblatione quæ accidit in ara crucis patiendo, & ex hac permutatione oblationis & passionis Christi Apostolica evidenter evincitur in ara crucis, cum pateretur, esse consummatam atq; peractam oblationem Christi. Neq; oblatio Christi opponitur ingressui pontificis, sic inter se comparantur 1. Sanguinis Christi & sanguinis alieni oblatio, 2. Sacratium cœleste & manufactum. 3. ingressus unicus Christi in cœlum, & anniversarius pontificis in Sancta. Secundo ubi nulla est consumptio victimæ, ibi non fit sacrificium, ibi non peragitur oblatio victimæ. Atqui in cœlis nulla est consumptio victimæ. Ergo in cœlis non fit sacrificium. Dices, sacrificium in cœlis fieri non alia ratione, quam præsentando virtutem oblationis in cruce factæ, sicut in anniversario legis sacrificio fiebat, neq; enim in eo sacerdos tunc dicebatur offerre & expiare, cum pecudem mactaret, sed cum sanguinem in aditu illatum spargeret &c. Respondeo expiationem etiam tribui iis, quæ ingressum in sanctuarium præcesserunt, & cum mactatione conjungi sicut patet ex locis Levit. XVI. 6. 11. 14. Interim concedimus, Christum non quidem realiter in cœlum intulisse sanguinem fusum, sed virtualiter, ut ejus efficacia semper coram Deo memoretur & repræsentetur ad applicandam nobis æternam redemtionem Ebr IX. 11.

§. 14. Tertio idem probatur ex Hebræorum X. 10. ubi expresse di-

citur nos sanctificatos esse oblatione ἐφάπαξ sive semel facta. Confer V. 15. 27. IX. 28. Quod si autem sacrificium Christi expiatorium consisteret in repræsentando & interpellando pro nobis, non potuisset dici ab Apostolo id semel factum: Christus enim semper interpellat & advocatum pro nobis agit apud Patrem, Heb. VII. 25 Rom. VIII. 34. I. Joh II. 2. Dicesad Heb. VII. 26, inter conditiones Sacerdotis Christi numerari etiam, quod debuerit sublimior cœlo evadere, quare sequitur eum, cum in terris adhuc esset, nondum perfectam illam obtulisse victimam, sed præparatum fuisse, ut sacerdos & victima perfecta fieret. Confer ad Hebr. VIII. 4. *Si esset in terra ne sacerdos quidem esset.* Respondeo nuspiam in scripturis dici Christum propterea sublimiorem cœlo evasisse, ut victimam ibi perfectam offerret, vel ut ibi fieret sacerdos. Sed hoc dicitur Christum sublimiorem cœlis evasisse, ut functiones sacerdotales plenè obiret, ad quas etiam requirebatur intercessio in cœlo peragenda Heb. IX. 12. 24. Ad locum ad Heb. VIII. dicimus voces *super terram* non significare locum sed conditionem terrenam sicut τὰ ἐπὶ γῆς accipiuntur ad Coloss. III. 2. 5. Et ipse evincit contextus, Apostoli scopus, oppositio τῶν ἐπ οὐρανίων 5. Recte Beza: *Rationem adfert cur dixerit pontificem nostrum versari in cœlesti sacrario, non autem in terreno: quoniam* (inquit) *ne si nunc quidem esset in terris, terreno sacrario ministraret, stantibus Leviticis sacerdotibus, cum ij propter illum sint constituti, ideſt, ut sint illius perfecti exemplaris antitypi. Quorsum autem antitypi præsente ipso vero ac primario exemplari?* Quarto si sacrificium nullatenus constat essentialiter illa sanguinis in S. Sanctorum illatione & præsentatione, sequitur sacrificium Christi etiam in illa illatione & præsentatione non esse situm. Atqui verum prius. Ergo & posterius. Probatur Minor exemplo sacrificiorum expiatoriorum pro peccato cujusvis hominis privati Levitici VI. 30. VIII. 25. IX. 9. Ex quibus nihil sanguinis in S. Sanctorum illatum fuit. Atqui sacrificia illa fuere verè sacrificia, gesseruntq; typum Christi, sicuti supra dictum est E. sacrificij natura non est sita in præsentatione illa sanguinis: sequitur ergo, nec Christi sacrificium in illa præsentatione, sed in immolatione & passione sitam esse. Confer ipsam prophetæ Esaiæ Explicationem LIII. 10. ubi dicit, quod animam suam posuerit Christus אשם sive sacrificium pro peccatis pro nobis. Vox אשם de sacrificiis expiatoriis privatis, vel pro-

delictis

delictis privatorum adhibetur, ut ex locis cit. manifestum est. Nec est quod quis dicat sacrificia privatorum eo quod pro singulis tantum offerentur, morti Christi non respondere, quæ pro omnibus facta est. Respondeo, etiam pro singulis factam esse & singulorum requiri mortis Christi applicationem. Tandem si pacificatio peccatorum nostrorum facta est ante ingressum Christi in cœlum effusione sanguinis in his terris, utiq; sacrificium Christi expiatorium fuit antequam ingrederetur cœlum. Atqui verum prius. Ergo & posterius. Connexio majoris, est manifesta, purificatio enim non potest esse prior ipso sacrificio expiatorio, à quo dependet. Minor patet Heb. I. 3. Dices: Christum se prius in cœlo præsentasse & ea præsentatione fecisse expiationem antequam consideret ad dextram Dei. Respondeo, si ad eum modum sensum aliquem in scripturam inferre liceret, corrumpi & perverti omnia possent. Quid? quod passim sanguini Christi eiq, in terris effuso sacra scriptura asscribit purificationem, expiationem & ablationem reatus Matt. XXV. 28. Apocal. V. 9. 1. Joh. I. 6. I. Pet. I. 2. Nuspiam autem ejus ingressui in cœlum.

§. 15. Sequitur, ut ostendamus, *Christum hujus potissimum sacrificii expiatorii respectu esse Sacerdotem proprie dictum.* Potissimum dico: quia requiritur etiam in sacerdote intercessio. Sociniani arbitrantur, Sacerdotium Christi nihil esse aliud quam curam salutis nostræ sive quod nostri curam gerere velit & gerat. Smalcius lib. de divin Christi c. XXII I. sed hoc pacto confunditur Christi sacerdotium cum ejusdem regno. Cæterum non est quod operose probemus, Christum esse proprie dictum sacerdotem. Si enim constat Christum obtulisse victimam & sacrificium, ultro sequitur, Christum esse veri nominis sacerdotem. Consistit namq; sacerdotum munus in duobus illis, oblatione victimarum & intercessione. Quarum utramq; cum Christo sacerdoti nostro vendicaverimus, negari sacerdotium Christi proprie dictum nequit. Adde definitionem sacerdotis quæ optimè in Christum quadrat Ebr. V. 1. VIII. 3. *Omnis sacerdos pro hominibus καθίσταται τὰ πρὸς τὸν θεὸν constituitur pro hominibus, quoad ea, quæ apud Deum pro ipsis præstanda vel peragenda sunt, ut offerat dona & victimam pro peccatis* Id vult dicere Apostolus: si sacerdotis qué talis victimam offerentis est, aliquid præstare nomine hominum, sine quo Deus hominibus pecca-

ta remittere non vult, utiq; etiam Christi, quà est sacerdos, seipsum offerens victimam, est, Deo aliquid præstare nostro nomine sine quo Deus nobis peccata remittere non vult. Præterea illud quoq; considerandum venit, Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, unde consequitur Christum esse proprie dictum Sacerdotem. Nam Melchisedec fuit sacerdos propriè dictus, nec, qui est ejusdem ordinis sacerdos, cujus fuit Melchisedech, non potest esse proprie dictus sacerdos. Sed hæc mittamus.

§ 16. Transimus ad quartum instituti nostri caput, quô credimus *Christum respectu sui sacrificij expiatorij peracti in ara crucis ad purificationem peccatorum nostrorum esse nostrum proprie dictum Redemtorẽ, Servatorem & Mediatorẽ.* Quod sit propriè dictus redemptor, probamus ex Apoc. V. 9 Ubi dicitur Christus *mactatus esse, & redemisse nos Deo per sanguinem suum.* Hic urgemus vim phrasium λυτρῶν, ἀπολυτρῶν. Ne autem excipiant Sociniani redimendo vocem hic accipiendam esse Metaphoricè pro liberatione simplici absq; interveniente vero precio notamus, propriam acceptionem harum vocum frequentem esse in sacris literis. Exod XIII 13, 15. XXXIV. 20 Levit. XXV. 24. seqq. C. XXVII. 15. seq. Num III 48. 49 XVIII 15. seq. Nehem. V. 8, Psal XLIX 8. &c. Hinc fit ut dicatur Christus *semetipsum dedisse* λύτρον Matt. XX. 28 Marc. X. 45. Est autem λύτρον *verum pretium non pecunia tantum, sed quicquid ut ei satisfiat, qui captivum detinet, datur*, ipsis largientibus Socinianis. Nec ulla ratio apparet, cur ad improprietatem vocis λύτρα sit deveniendum. Neq; ex sacro neq; ex profano scriptore ullus proferri locus potest, ubi aliter vox illa capiatur. Imo etiamsi λύτρον accipi posset, pro qualicunq; impendio etiam quo nemo ad liberandum moveatur, quodq; per modum pretij liberationem non impetrat, tamen vox ἀντιλύτρα qua utitur Paulus I Tim II 6 compensationem exigit, & satisfactionem solutionemq; pretij pro redemtione captivi. Conferimus etiam voces ἀγοράζειν & ἐξαγοράζειν, quæ significant emptionem vel acquisitionem quandam vero pretio interveniente factam. Videatur I. Cor. VI. 20 Ubi Paulus expresse *empti estis* τιμῆς pretio, item I Pet. I. 18. 19. Unde colligimus, quia in redemptione per Christum facta semper fit mentio pretij redemptivi eam non esse simplicem & nudam liberationem, sed talem liberationem quæ aliquam

quam includit compensationem. Neq; dici potest impendium hic significari tale, quo interveniente quisquam è captivitate ac servitute spirituali liberatur, atqui pretio dato liberari solent ij, qui proprie sunt captivi. Respondeo enim, hoc si esset, nihil opus fuisset toties inculcare λύτρον, quo facta est illa liberatio. Neq; opus fuisset toties inculcare mortem Christi, cujus tanquam pretij intervenientis medio liberati sumus Gal. III. 13. Tit. II 14. Heb. IX. 11, 16 &c. Dices, si Christus nos Deo redemit, sequitur quod Deo pro nobis non satisfecit, nam si Deo pro nobis satisfeciſſet, nos non Deo emisset s. redemisset, sed potius à DEO redemisset & liberasset, ita ut Deus nullum amplius jus in nos haberet. Respondeo, Christum nos redemisse Deo ut sc. ei serviamus, & redemisse etiam à Deo, irato sc., seu liberasse nos ab ira & justitia Dei punitiva.

§ 17. Dices: talem iram & justitiam Dei punitivam non dari. Respondeo hoc esse contra Paulum, qui de Christo loquens Rom. III. 25. 26. *quem*, inquit, *proposuit Deus ἱλαστήριον placamentum per fidem, in sanguine ipsius, ad demonstrationem justitiæ suæ, præterendo peccata quæ antecesserunt, in illâ Dei toletantia, ad demonstrationem justitiæ præsenti tempore: ut sit ipse justus, & justificans eum qui est ex fide Jesu.* Ubi notanda vox ἱλαστήριον, item ἱλασμὸς I. Joh. II. 2 quæ sunt ὥσπερ τὸ ἱλάσκεσθαι, quod omnium autorum Græcorum tam sacrorum quàm profanorum consensu est placare iratum, expiare placando. Nam quod adversarij dicunt, expiationē peccati esse ejus destructionē, quæ fit sine placamento, contra indolem Græci sermonis agunt & suo more scripturas torquent. Adde, quod sequitur, in sanguine & conf. Ebr. IX. 22. Nec est, quod dicas sanguinem sive mortem cruentam Christi effectum justitiæ divinæ non esse, eò quod subjicitur, propter dissimulationem præcedentium peccatorum in tolerantia Dei: at dissimulatio peccatorum non est effectus justitiæ Dei vindicativæ. Respondeo, quidni etiam dissimulatio peccatorum ob placamen factum sanguine Christi sit effectus justitiæ Dei, secundum ea quæ de vadimonio supra dicta sunt? Dices, justitiam Dei in loco Pauli non intelligi de justitia Dei punitiva, sed de veracitate ejus, de fidelitate & constantia in servandis promissis, sicut ea vox accipitur versu 5. hujus capitis & I. Joh. I. 9. Imo dici posse Apostolum vocabulo justitiæ etiam justificationem nostram per fidem comprehendere, atq; tum causam tum effectum exprimere voluisse. Respon-

deo

deo ad posterius quidem, eadem verba in scriptura duplicem habere sensum causæ & effectus inauditum & impossibile est. Quod autem hic in voce justitiæ non sit significatio veracitatis, patet ex eo, quod Apostolus tempori ante Christum attribuit dissimulationem peccatorum, tempori autem Christi demonstrationem talis justitiæ, qua Deus sit justus, quâ Deus fuso sanguine placatus & propitius reddatur, unde consequitur talem hic Dei justitiam intelligi qua peccatorum pœnas à Christo exegit. Sed de justitia Dei vindicativa infra, cum Deo, latiùs agetur. Interim expendatur locus Rom. V. 9. & 10. *justificati igitur nunc ejus sanguine, servamur multò magù per eum ab ira. Nam si quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus, multò magù reconciliati servabimur per vitam ipsius.* Ubi nota commendari inde divinum erga nos amorem, quod ira dignos & pœnas expetens tamen nostræ impunitati viam, Christo morti nostræ se opponente atq; impendente, invenit: & esse hic consequentiam à minori, si tam benignus adversus non conversos fuit, qualis futurus est erga conversos. Nec est, quod dicas, reconciliationem hic notare conversionem, nostramq; ab odio DEI discessionem. Confunduntur enim, quæ Scriptura distinguit. Conversi enim reconciliationem accipiunt vers. 11. at non possunt dici accipere conversionem. Et clamat contextus, hic aliquid singulare inculcari, quale est pro hostibus mori, cum paucissimi fuerint, qui vellent pro amicis mori. Unde constat non esse de conversione sermonem. Nec potest inde dici charitas DEI erga nos relucere, quod nos ab odio DEI recesserimus, ut est manifestum. Dices primo: In omni vera redemptione quatuor requiri: primo captivum, secundo λύτρον, tertio redemptorem, quarto eum qui captivum in captivitate detinuit, Hic cum sit Diabolus, sequitur pretium redemtionis Diabolo persolutum esse. Respondeo: Deo ut justo judici persolutum est λύτρον, ideo expresse Christus dicitur se Deo obtulisse Ephes. V. 2. Heb. IX. 14. Diabolus autem in captivitate nostra nil aliud erat, quàm minister carceris. Non ergo sequitur, cujus eramus captivi, ei est λύτρον persolutum sed cujus eramus, ut judicis, captivi, ei est λύτρον persolutum. Dices secundo: Deum nos in servitute peccati minimè detinuisse, sed potius unice desideraſſe, ut ea excuteretur, Diabolum autem fuisse, qui nos in captivitate detinuerit. Respondeo: Diabolus quidem mortis habebat imperium,

Heb. II. 14.

Heb. II. 14. Sed ſtimulus mortis erat peccatum, vis autem peccati erat lex Dei, cui propterea tanquam juſtitiæ vindici λύτρον debebatur I. Cor. XV. 5. 6. Dices tertio: Deum ſuppeditaſſe hoc ipſum pretium, quia miſit filium in mundum, ut fieret propitiatio pro peccatis noſtris. Abſurdum ergo eſt Deum nobis infenſum pretium recepiſſe. Reſpondeo, non eſt hoc myſterium ratione vel ejus abſurdis metiendum, ſed ſcriptura, quæ evidenter teſtatur Deum hominibus iratum, ordinare poſſe media ad reconciliationem ex affectu miſericordiæ generalis, eademq; acceptare. Saltem videatur c. ult. Jobi. Quarto Dices Chriſtum, quantus quantus fuit, Dei fuiſſe, adeoq; Chriſtum nihil Deo dare potuiſſe, quod Dei non fuiſſet. Reſpondeo, omnia quidem eſſe Dei ratione creationis, & dominij eminentis, interim Dei voluntate gratioſa fit, ut etiam id donari ei poſſit, quod antea ipſius erat, ut teſtantur ſacrificia &c. Quinto dices: Chriſtum ſic eſſe redemptorem, ſicuti dicitur Moſes Act. VII. 35. λυτρωτὴς, qui tamen nullo interveniente pretio liberavit populum ex ſervitute Ægyptiaca. Reſpondeo nullibi de Moſe legi, quod ſuo ſanguine, ſua vita, ſanguinis ſui effuſione, & quidem tanquam λύτρῳ, & ἀντιλύτρῳ populum Iſraeliticum redemerit. Ergo non eſt par ratio, quando dicitur Moſes λυτρωτὴς & cum Chriſtus dicitur redemptor. Tandem dices: nos in ſcriptura dici liberari à vana converſatione, ab iniquitatibus noſtris I. Pet. I. 18. Heb. IX. 15. Tit. II. 4. Talis autem redemtio non poteſt dici contigiſſe interveniente pretio: neq; enim vanæ converſationi aut iniquitatibus noſtris pretium eſt perſolutum. Reſpondeo, conſequentiam nullam eſſe: non enim ſequitur, redempti ſumus vero pretio perſoluto, ab iniquitatibus noſtris, à vana converſatione, ab execratione legis. E. vanæ converſationi, iniquitatibus noſtris & execrationi legis pretium eſt perſolutum. Cæterum hic notandum, non eodem reſpectu dici nos redemptos ab execratione legis & à converſatione vana. Nam ab execratione legis dicimur redempti, tum quatenus lex eſt index juſtitiæ Dei, cui λύτρον eſt perſolutum, tum quatenus execrationis illius, quæ mortem complectitur, eramus captivi: à converſatione vana & iniquitatibus autem, tanquam ab eo, qui captivos nos detinebat, quales ſunt Diabolus, mundus, peccata & eorum pœnæ. Manet ergo, cum ſcriptura inculcat ἀπολύτρωσιν τῶν παραβάσεων, dicitq; culpas, delicta, crimina expiari, noſq; redimi, omnino ſignificari

talem causam moventem ad liberandum, quæ compensationem aut satisfactionem includat. Agitur enim de liberatione judiciali: in judiciis autem is, qui alterius culpam redimit, compensare eam, atq; pro ea satisfacere, omnino dicendus est.

§. 18. Eodem respectu quo redemptor noster est Christus, est etiam Mediator, quatenus scilicet Deum nobis iratum placavit & reconciliavit. Sociniani mediatoris nomine nihil aliud significari, quàm internuntium Dei, quo Deus utatur ad fœdus cum hominibus faciendum, & per quem homines ad Deum accedunt. Sed dici Christum Mediatorem respectu sacrificij sui & ἀντιλύτρου in cruce fuso sanguine & tolerata morte persoluti atq; oblati, testantur loca evidentissima quatuor I. Tim. II. 5. 6. Heb. IX. 15. Heb. II. 24. VIII. 6. Nos Deum morte Christi placatum & reconciliatum nobis esse probamus locis II. Cor. V. 18. 19. item Eph. II. 16. &c. In priori loco expresse dicitur, *Deum nos sibi reconciliasse per Christum*. Dices, non esse hunc sensum quod Christus Deum nobis reconciliaverit, qui jam antea summo adversus genus humanum amore flagrabat, sed hunc, quod Christus nos Deo reconciliaverit, qui ipsum oderamus. Respondeo: reconciliationem esse ἐκ τῶν πρός τι & mutuum importare respectum ad reconciliantem & reconciliatum, insuper ad lædentem & læsum: præsupponit enim offensionem: ubi nulla est offensio, ibi nulla opus est reconciliatione. Urgemus ergo vim phaseos: reconciliare enim, est in gratiam reducere, reconciliare Deo, est in gratiam Dei reducere. καταλλαγὴ est quasi commutatio quædam, qua quis quasi alius fit (derivatur enim ab ἄλλος) non respectu sui, sed respectu alterius. Sic in hac reconciliatione est commutatio quædam, quâ Deus ex irato fit placatus, & propitius propter Christum. Si autem Deus non revera fuisset nobis reconciliatus, sed nos tantum Deum odissemus, non potuisset dicere Apostolus Rom. V. 10. *Nos inimicos* fuisse. Neq; enim inimicitia & odium coincidunt, inimicitia quippe pariter atq; opposita ei amicitia utramq; respicit partem, odium vero alterutram tantum. Neq; est quod dicas: stante nostra explicatione, futurum, ut Deum quoq; reduxerit Christus in gratiam nostram; hac enim Deus non indigebat, neq; unquam fando auditum est, læsum per reconciliationem reduci in gratiam lædentis, sed lædens reducitur in gratiam læsi & offensi. Quod autem Deus nostris peccatis revera

fuerit

erat offensus, patet tùm ex ira Dei adversùm peccata Rom. I. v. 18. IV. 15. v. 9. tùm quod expresse dicuntur peccata nostra *dividere inter nos*, & *Deum nostrum* Esa LIX. 2. Adde Sap XIV. 9. *Æq; odio sunt Deo impius & impietas eius*. Adde Eph. I. 6. Ubi dicimur *accepti redditi in Christo*, unde consequitur nos minimè fuisse antea acceptos, sed exosos, confer Eph. II. 3. *Eramus naturâ filii iræ* hoc est, interpretibus Socinianis ὄντως, ἀληθῶς verè filij iræ. Dices nihil aliud significari, quam nos fuisse irâ Dei dignos, non autem Deum fuisse nobis iratum: Deus enim nos dilexit cum inimici ipsius essemus; nec uspiam in scriptura dici Deum nobis reconciliatum. Respondeo, optimè stare posse Dei dilectionem & charitatem cum Dei justitia. Dilexit DEUS hominem ceu creaturam suam Diaboli artibus misere circumventam atq; deceptam; eandem creaturam odit, quatenus in ea deprehendit peccata, quibus justus judex non potest non offendi. Quod autem nuspiam in scriptura dicatur, Deum nobis reconciliatum, causa est, quod Deus extra culpam erat, & homo in culpa; Deus læsus, homo lædens Ergo homo debuit reconciliari DEO. Dices amplius, reconciliationem hanc nihil esse aliud, quàm conversionem. Respondeo 1. expresse distinguitur in loco citato ad Corinthios reconciliatio illa, quâ sibi Deus mundum reconciliavit quæ est antecedens vers. 18. 19. quæ consistit in remissione sive non imputatione peccatorum, quæ facta est per Christum vers. 21. (coincidunt autem remittere & non imputare peccata, sicut clarum est ex Rom. IV. 6. 7. 8.) a illa reconciliatione, quæ consistit in conversione hominum, & est consequens, ad quam Apostoli homines DEI nomine adhortantur vers. 18. 19. 20. Confer II. Cor. V. 15. Ubi de priori reconciliatione: si unus pro omnibus mortuus fuit, isti omnes fuere mortui: de posteriori, ut qui vivunt posthac non sibi vivant. 2. Annunciatio reconciliationis ad mundum non est facta per Christum in persona propria: hic enim tantum annunciavit in Judæa. E. si sensus est, DEUS mundum sibi reconcilavit per Christum, & DEUS erat in Christo tanquam in legato, falsum dicet Apostolus, cum Christi legatio non fuerit ad totum mundum, sed tantum ad Judæos, unde etiam dicitur *Minister circumcisionis*. Rom. XV. 8. Deniq; si vera est sententia Socinianorum, Christus non alia nos ratione DEO reconciliavit quàm Apostoli. Nam & Christus in reconciliationis negotio fuit minister per quem credidernnt homines. At hoc falsissimum & Apostolo maxime adversum, qui v. 20.

explicat, qualis fuerit reconciliatio per Christum facta, quando dicit, *fecit ut, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum esset, ut nos efficeremur justitia Dei in Eo*: ut peccata nostra nobis non imputarentur propter Christum, qui innocens pœnas peccatorum nostrorum tulit.

§. 19. Alter locus est Eph. II. 16. 17. seq. Ubi dicitur Christus Judæos & Gentes reconciliasse Deo per crucem. Hic urgemus dativum τῷ θεῷ constructum cum verbo ἀποκαταλλάξαι unde patet & Judæos & Gentes reconciliatos fuisse Deo, simul liquet, absurdam esse Photinianorum glossam, Judæos & gentes reconciliatos inter sese, ut Deo serviant. Nam expresse dicuntur utriq; Deo reconciliati; reconciliatio autem mutuæ benevolentiæ redintegrationem notat. Quaquam neq; id diffitendum, duarum reconciliationum fieri mentionem, tum Judæorum & Gentium inter sese, tum utriusq; partis cum Deo. Adde si tantum Judæi & Gentes inter sese fuissent reconciliati, nulla ratione potuisset Apostolus dicere reconciliationem esse factam per crucem & sanguinem Christi, quæ additio manifestè indicat, Deum hominibus reconciliatum & placatum, ut remitteret ipsis peccata: Sanguini enim Christi inest illa vis placatrix 1. Joh. II. 2. IV. 10 Col. I. 14. &c. Dices: Deus ipse per Christum pacem fecit, Ergo non fuit opus aliqua placatione vel mitigatione iræ ipsius. Respondeo, jam dictum est ad locum II. Cor. V. *DEUM reconciliasse mundum* (NB) *sibi*. Dices amplius: reconciliationem pugnare cum plena & verâ satisfactione, reconciliatoris enim esse læsum eò adducere, ut aliquid de jure suo remittere velit, non autem plenè ei satisfacere. Respondeo reconciliator est is, qui efficit ut mutua inimicitia tollatur; sive id fiat impendio & munere, ut apud Livium, sive minus: nam modum reconciliationis nihil jam attinet exquirere: sufficit quod scriptura dicat nostras pœnas in Christum esse conjectas, nosq; sanguine Christi, corpore Christi pro nobis fracto in remissionem peccatorum reconciliatos esse, in quo pondus est & momentum requisitum ad plenam satisfactionem. Deniq; dices: si Deo nos Christus reconciliavit, sequitur nos primum quæsivisse pacem apud Deum per Christum. At hoc falsum, Ergo illud. Respondeo: hæc instantia nec in civilibus controversiis semper valet, non enim semper alterutra pars pacem quærit. Deniq; dices: si Pater fuit reconciliatus, Filius autem non indiguit reconciliatione, perit unitas voluntatis Patris & Filij &c.

Respon-

Reſpondeo Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum eſſe Unum Joh. X. 20. I: Joh. V. 7. Nulla hic diſſenſio; *Omnia tua mea ſunt* inquit Chriſtus Joh. XVII. *Deus nos ſibi reconciliavit per Chriſtum* II. Cor. V. 19. Et *Chriſtus nos DEO reconciliavit per crucem, peremtis inimicitiis* Eph. II. 16.

§. 20. Simul id ex dictis clarum eſt, longe alio ſenſu Chriſtum & dici in ſacris & eſſe Servatorem, quam putant Sociniani. Nempe quinq; modi ſunt quibus Socinus parte prima de Servatore c. II. & ſequentibus Chriſtum eſſe Servatorem putat. Primò quod ſalutis viam nobis annunciaverit: ſecundo quod ſalutis viam nobis confirmaverit: tertio quod vitæ exemplo viam ſalutis nobis oſtenderit: quarto quod à mortuis reſurgendo viam ſalutis nobis oſtenderit: quinto quod vitam æternam nobis daturus ſit. Sed hæc nondum ſufficiunt. Nam & Propheræ & Apoſtoli ſalutis viam nobis annunciarunt, neq; tamen κατ' ἐξοχὴν Servatores mundi ſunt vel dicuntur. Porro ijdem Prophetæ & Apoſtoli cum miraculorum patratione, tum ſanguinis quoq; effuſione ſalutis viam, hoc eſt, doctrinam illam quam profitebantur confirmarunt & obſignarunt: neq; tamen inde Servatores mundi ſunt, ſicut Chriſtus, nec uſpiam ipſorũ mors ἀπολύτρωσις, ἱλαστήριον, λύτρον, ἀντίλυτρον dicitur. Nec imitatio ſufficiens cauſa eſſe poteſt, cur Chriſtus & ſit & dicatur Servator noſter. Nam & Paulus Corinthiorũ I Epiſt. c. XI *Imitatores*, inquit, *mei eſtote ſicut & ego Chriſti*. Neq; tamen eminenti titulo, ſicut Chriſtus, Servatoris hominũ vel Servatoris mundi uſpiam Paulus inſignitur. Reſurrectionem autem à mortuis propterea non poſſumus concedere ſumpram excluſive, excludendo ſcilicet Chriſti mortem, eſſe cauſam, cur Chriſtus dicatur mundi Servator; quia multi reſurgent, qui tamen in baratrum mortis æternæ præcipitabuntur, ut alia prætereamus. Tandem neq; hoc ſufficit ad rationem Servatoris conſtituendam, dare hominibus vitam æternam. Nam & Pater nos ſalvat, neq; tamen dicitur mundi Servator. Dices: Patrem eſſe Servatorem primarium atq; principalem: Chriſtum autem ſalutis inſtrumentum. Reſpondeo, contrarium eſſe manifeſtum ex precedentibus Exercitationibus. Nec, ſi tantum Chriſtus eſſet ſalutis inſtrumentum, dici poſſet ἀρχηγὸς πίστεως Ebr. XII. 1. αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου Ebr. V. 9. Act. Apoc. 12. item ὁμοίως *facere quæcunq; Pater facit* Joh. V. 19. &c. Re-

linquitur ergo Christum obedientiæ suæ merito Servatorem nostrum esse. Obedientiæ inquam, tàm passivæ quam activæ. Sic enim ipse Angelus Matt. I, 21. nomen Jesu explicat: *ipse enim liberabit populum suum à peccatis suis*, idq; *per sanguinem* in ara crucis fusum ad Eph. I 7. Col. I, 14. I. Joh. I. 7. Ebr. IX. 22. *Sicut* enim *Moses exaltit serpentem in deserto ita exaltari oportuit filium hominis, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* Joh. III. 14. 15.

§. 21. Quia vero negant adversarii, non tantum Christum propter nostram impunitatem esse passum, quod hactenus probatum dedimus, verum etiam loco & vice nostri perfectam lege divinæ obedientiam præstitisse, posterius hoc demonstrandum nunc erit, nempe, *Christum pro nobis legem Dei implevisse, ut nos consequeremur vitam æternã.* Id probamus primo ex Galat. IV. 4. 5. Ex quo loco patet Christum *nos, qui legi eramus subjecti, redemisse, & adoptionem atq; consequenter* vitam æternam nobis impetrasse *per obedientiam legi præstitam.* Dices, Christum ipsum fuisse subjectum legi. Respondeo, contrarium est tum in loco citato, ubi dicitur, quod factus sit legi obnoxius, sive quod ipse se voluntariè legi subjecerit, tum Marci II. 28. ubi dicitur, Christus Sabbati dominus. Confer Philip. II. 6. 7. 8. Dices: Paulum hic nihil aliud voluisse dicere, quam Christum missum fuisse ad liberandos eos, qui sub lege erant, addidisse autem, factum fuisse sub lege, ut sermonis elegantiæ atq; argutiæ consuleret. Respondeo, urgemus phrases, contextum: Argutias autem tales meras ineptias esse dicimus. Dices, Christum pro se legem Dei impleviſſe, non autem pro nobis. Respondeo Christum *nobis datum & natum* esse, *venisse ut ministraret*, s, ut subjiceretur legi, cujus erat dominus; accepit conditionem faciendæ voluntatis sui patris; qua voluntate nos sanctificati sumus; Obedientia ipsius nos justi constituimur, nos efficimur justitia Dei in ipso; ipse factus est nobis à Patre justitia, de quibus omnibus vide Esa: IX. Matth. XX. Ebr. X. 17. 10. Rom. V. II. I. Cor. I. Ex quibus locis patet, Christum pro nobis obedientiam præstitisse. Dices: hæc duo pugnant, Christus pro nobis pœnas pertulit. & Christus pro nobis legem implevit; Nam si pro nobis legem implevit, tum nihil pœnæ remanet. Respondeo, Christum pro nobis pœnas sustinuisse, quas peccata nostra flagitabant, ut nulla in nobis esset condemnatio; Præterea obedientiam pro nobis præstitisse perfectam, ut vitam æternã adipiscemur, secundũ illud Levit XVIII. 5.

Hoc

Hoc fac & vives. Confer Matth. XIX. 17 & Rom. X. 5. Adde quæ Paulus habet Rom. VIII. 3. 4. Ubi ostendit per legem peccatum nos Deo reos egisse, Deum autem nos in Christo absolvisse; ut δικαίωμα τῦ νόμυ id est, id quod lex requirit, quo justi coram Deo inveniamur, in nobis compleatur, lex enim moralis non est per Christum abolita, sed stabilita Rom. III. ult. Secundo producimus clarissimum locum Rom. V. 12. seqq & imprimis 19. Ubi expresse dicitur id, quo constituimur in judicio Dei, esse obedientiam Christi. Confer Rom. X. 3. Ubi taxantur Judæi, quod propriam justitiam studentes constituere justitiæ non fuere subjecti. Unde consequitur, illam justitiam, qua justi constituiraur in conspectu Dei, non esse propriam justitiam, sed alienam, id est, Christi, hanc enim scriptura ubivis inculcat, ut patet. Tertio producimus Hebr X. 7 10. Ubi Christus loquens introducitur ex Psal XL. *Aures perforasti mihi, ut voluntatem tuam faterem, & lex tua in visceribus meis esset* &c. Et postea subjicitur: *Hac enim voluntate sanctificati sumus.* Confer Philip. III. 8. 9. II Cor. V. 21. I. Cor. I. 30. Unde cur Jerem. XXIII. 6. dicatur *Jehovah justitia nostra*, jam liquidum est. Dices factum unius non posse fieri factum alterius, adeoq; *justitiam justi super justum futuram & animam, quæ peccaverit, morituram.* Ezech. XVIII. 20. Respondeo primò, Ezech locum esse de modo ordinario intelligendum, quo agit Deus cum hominibus. Quanquam nec id negandum, etiam justitiam inhærentem ceu justificationis nostræ individuam comitem & pedissequam à nobis requiri. Secundo dicimus factum unius non posse quidem subjective fieri factum alterius, interim meritum obedientiæ unius posse ad alterum pervenire, eiq; prodesse exemplis quotidianis demonstratur.

§ 22. Ex iis quæ hactenus disputata sunt manifestum est, *Christum vere & plenè pro nobis satisfecisse Justitiæ divinæ.* Id sic probamus: Quicunq; non tantum legem perfectissimè pro nobis implevit, verum etiam in nostri locum surrogatus à Deo desertus, ac maledictioni divinæ obnoxius factus est, atq; nostri vice & loco pœnam mortis sustinuit, ita ut animam suam dederit λύτρον imo ἀντίλυτρον καὶ πρὸ pro peccatis nostris, & sanguinis sui effusione DEUM nobis reconciliavit, qui propter peccata nostra nobis erat infensus, is morte sua justitiæ Divinæ pro peccatis nostris plenissime satisfecit. Atqui de Christo verum est prius. Ergo Christus plenissime pro peccatis

nostris

nostris satisfecit. Major ex terminis est clara: qui enim captivum redimit λύτρω, τιμῇ, ἀντιλύτρω is plene & adæquate pro captivo satisfecit. Atq; Christum tales pœnas sustinuisse, quæ ejusmodi fuerint λύτρον, quæq; vi sua delictis omnibus omnium hominum essent æquales, ex hactenus dictis manifestum est. Omnes peccarunt tam in Veteri, quam in Novo Testamento: omnibus redemtor est missus Christus morte sua, cujus vis ad omnia peccata se extendit; quæ ab ipsa origine mundi etiam sub prior. Testamento erant commissa, ut luculenter Apostolus docet Ebr. IX. 15. & 25. ubi habet Christi mortem intercessisse ad redemptionem etiam earum transgressionum, quæ sub priore pacto fuerant &c. Cum quo loco conferatur Petri I. 19. 20. Et hoc sensu Christus dicitur agnus mactatus à jacto mundi fundamento Apoc. XIII. 8. Ubi simul habes mactationis hujus sive obedientiæ Christi effectum, inscriptionem in librum vitæ, qui Apoc. XVII. 8. dicitur liber Vitæ agni. Neq; hic fingenda contra manifestam literam hyperbata: neq;, si id esset, id quod volumus, non inculcaretur. Sed hæc mittamus, & aliquas contra satisfactionem Christi Socinianorum argutias videamus & dissipemus. Primo dicunt vocabula satisfactionis & meriti nuspiam in sacris scripturis legi. Respondeo. Quod attinet vocabulum satisfactionis in hac quidem materia non legitur, quanquam apud Marcum XV. 15. τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι exstat, sufficit tamen quod res ipsa in scripturis proponatur. Nam nec ipsi Photiniani possunt sua dogmata verbotim ostendere v. g. quod Christus sit Deus factus &c. Conferantur dicta Exer. I. §. 11. Quod autem attinet vocem meriti occurrit act. XX. 28. vox περιποιεῖσθαι acquirere, qua voce scriptura utitur in negotio redemptionis nostræ, ut patet ex Eph. I. 14. I. Thess. V. 9. Unde Christiani dicuntur λαὸς εἰς περιποίησιν 1. Pet. II. 9. Ebr. autem IX. 12. cum dicitur Christus ἀπολύτρωσιν εὑρόμενος quid aliud est quam promereri? Dices secundo, meritum pugnare cum satisfactione, nam qui solvit & satisfacit, nihil meretur, sed reddit, quod debet; meritum autem est opus indebitum. Respondeo. Solutio proprii debiti non est meritoria. At secus res habet in solutione debiti alieni, quâ captivus in libertatem asseritur. Dices tertio: Si Christus pro nostris peccatis satisfecit, & legi perfectam obedientiam pro nobis præstitit, nos non tenemur mandata Dei servare, solvisse enim pro nobis Christum &c. Respondeo: quod Christus pro nobis solvit, id

non

non debemus, in quantum illud pro nobis solvit. Eatenus ergo, quatenus Christus morte sua condemnationem à nobis avertit, & obedientia sua activa jus vitæ æternæ nobis promeruit, eatenus nihil debemus. Nec hoc respectu nos vel mortem sustinere, vel in mandatis Dei ambulare tenemur; at alio respectu nostrum est legem observare, videlicet, quia id requirit Deus à salvandis, ut bonis operibus studeant. Dices quarto: Si Christus satisfecit pro omnibus hominibus, etiam impii salvantur. Respondeo, nullam esse connexionem. Hoc quidem sequitur, si Christus pro omnibus hominibus satisfecit, omnes salvos vult, omnes captivos vult redemptos à morte æterna per certa media, fidem nempe vivam & efficacem, auditum verbi &c. Sed quid si captivi hæc media respuentes liberari nolunt? Dices amplius: remissionem debiti nostri & ejusmodi retentionem, respectu Christi, secum pugnare, Si enim Deus nobis remittit peccata, Ergo non potest ea in Christo punire. Respondeo, retentionem debiti nostri respectu sponsoris & vadis nostri, & remissionem debiti respectu nostri nō pugnare, nec contradictionem implicare, omnis enim contradictio est ad idem, secundum idem &c. Debitum autem aliter se habet respectu nostri, aliter respectu Sponsoris nostri, qui ad solutionem sponte sua se obtulit. Dices amplius; Gratis nobis remitti peccata, & ex amore Dei erga nos. Ergo non remittuntur interveniente pretio. Respondeo merito & satisfactione Christi opus non erat, ut Deus simpliciter ad aliquam misericordiam & amorem erga nos flecteretur, sed ut salva justitia sua plenè & perfectè posset nostri misereri. Secundo gratis nobis remittuntur peccata, gratis donatur nobis vita æterna sine interveniente merito nostro, non autem sine interveniente merito alieno, sine satisfactione & merito Christi interveniente. Et quod hanc ipsam Deus acceptat, ac si à nobis esset præstita, soli ejus misericordiæ ascribendum, jure enim eam acceptare non tenebatur. Dices septimo: captivum, pro quo persolvitur λυτρον, non posse duci gratis dimitti. Respondeo, in quantum solvitur λύτρον, in tantum dimissio non est gratuita, respectu videlicet solventis, sed constat satisfactione, respectu autem captivi, qui de suo nihil solvit, omninò est gratuita. Dices amplius: præcipi nobis, ut inimicis nostris debita nostra remittamus, sicuti Deus nobis remisit. Atqui nos tenemur inimicis debitū remittere sine satisfactione. Ergo, Respondeo in comparationibus

sunt attendendæ res, quæ comparantur, non autem modi rei. Alia ratio est Dei remittentis peccata, alia hominum: homines inter se ejusdem sunt conditionis, at Deus non ejusdem cum hominibus conditionis. Adde quod Deus non tantum creditor sit, verum etiam justus judex, qui inobedientiam adversus leges juxta comminationem suam immutabilem punit; unde potest quidem homo absq; satisfactione præstita injuriam remittere (quanquam id præcise non tenetur facere: tenetur enim pars læsa deprecari Matth. V. 24. quæ deprecatio est instar satisfactionis) Deus tamen citra justitiæ suæ læsionem absq; satisfactione peccata condonare non potest. Dices nonò: Doctrinam de satisfactione ex Deo misericorde facere Tyrannum, qui nos nocentes dimiserit impunitos, & nihilominus, ut id debitum persolveretur, innocentem Christum pro nobis punivit. Respondeo. Talis est in Deo misericordia statuenda, quæ cum ejus justitia non pugnet. Justitia exigebat satisfactionem. Misericordia eam dedit, unde remissio peccatorum ascribitur tam justitiæ quam misericordiæ Rom. III. 24. 25. 26. Neq; tyrannidis accusari Deus potest propterea, quod innocentem Christum pro nobis puniverit: injuria enim vel est in gravissimis afflictionibus Christi comparatis ad Christi innocentiam, vel in pœna comparata ad peccata aliena tanquam causam meritoriam. In priori non potest esse injuria: Christum enim innocentem esse & tamen gravissimè afflictum, testatur scriptura, quæ profectò injuriam Deo tribuere nentiquam dicenda est. In posteriori itidem nulla est injuria, nisi velimus injuriæ accusare Deum dicentem Exod. XX. 25. XXXIV. 7. se visitare parentum iniquitates in filios nepotes & abnepotes Adde Genes. IX. 29. II Sam. XXI. 8. 14. XXIV. 15. 17. I. Reg. XV. 10. &c. Dices decimo, filios hic ejusdem culpæ reos esse, cujus rei erant parentes. Respondeo, si de actuali culpa sermo est, probari id ex locis citatis non potest. Et quid dicendum de pœna diluvij, quæ oppressit nocentes pariter & innoxiam infantum turbam? Accedit quod Christus volens, non coactus pro nostris delictis vadem sese obtulit, & quod nos debebamus præstitit, juste ergo potuerunt pœnæ à Christo nostro loco & vice exigi. Dices undecimo, ex satisfactione sequi Christi misericordiam multò majorem esse, quam DEI Patris, item patrem fuisse reconciliatum, filium autem reconciliatione non indigniisse, & per consequens non esse unam voluntatem

tatem Patris & filij, nec unam essentiam. Respondeo una est utriusq; personæ misericordia, una est simplicissima voluntas Patris & Filij, sed ut salva justitia sua nobis peccata condonare posset, satisfactio Christi exigebatur, cujus fundamentum & origo est misericordia utriusq;. Dices duodecimo, quis ergo filio satisfecit? Respondeo satisfecit sibi ipsi. Regeres: atqui satisfactio adeoq; omnis actus justitiæ non est ad seipsum, sed ad alium, docente Aristot. libro V. Eth. Respondeo, ipsum Aristotelem distinguere, docereq; proprie quidem communiterq; actum justitiæ esse ad alium; per accommodationem autem & analogiam actum justitiæ ad ipsum agentem respicere & referri posse. Tandem dices: Christum non subijsse æternam mortem, sed tantum temporalem, ergo non adæquatè pro nobis solvit, qui mortem æternam debebamus. Respondeo, hac de re jam supra dictum esse. Mors Christi temporalis spectata ratione cruciatuum antegressorum & desertionis Christi æquipollet morti æternæ, non tantum ob dignitatem personæ, quæ infinitum pondus largitur, sed & ob sensum iræ divinæ horrorisq; cruciatuum infernalium. Si enim peccatum Adæ vim habet culpæ tantæ, quæ pœnas æternæ mortis attraxit, eo quod infinitam DEI majestatem læderet, cum tamen tantum temporalis esset, quanto magis temporalis mors temporalisq; cruciatus Adami secundi id, est, filij DEI, DEI altissimi, vim æternæ mortis obtinebit, cum non sit mors nudi hominis, sed DEI simul altissimi & hominis. Regeres: si personæ dignitas infinitam largitur virtutem cruciatibus, potuisse vel levissima pœna de Christo sumpta, &, ut nonnulli dicunt, guttula sanguinis effusa divinæ justitiæ satisfieri. Respondeo, tales argutias opponi divinæ sapientiæ, divinæ misericordiæ, divinæ justitiæ. Sapientissimus DEUS voluit, ut quia gravissimæ erant generis humani delicta, non levioris alicujus pœnæ sed gravissimæ compensatio fieret, atq; sic humanum genus de præstita satisfactione certum redderetur. Misericordia DEI quo illustrior esset, in tam diros cruciatos passa est conijci filium; justitia deniq; exigebat gravissimas pœnas, quo DEI erga peccata severitas & odium magis cernerentur; quid ergo his ratiunculæ nostræ sese opponunt?

§ Tantum de sacerdotio Christi: jam de ejus regno aliquid adjiciamus. Duo potissimum sunt, quæ hic nos inter & Socinianos controvertuntur. Primum contendimus, *Christum verè fuisse Regem ante-*

& date eleemosynam: non proponitur [illegible]

antequam resurgeret. Id negant adversarij. Probamus autem inde, quod etiam in statu exinanitionis dicitur Rex Matt. II. 2. quærunt Magi, *ubi sit Judæorum natus Rex.* Et Cap. XXI. 25. *Dicite filiæ Zion, Ecce, Rex tuus venit tibi mitis & insidens asino, sive pullo fœtui subjugis asinæ.* Joh. XIIX. 37. quærit Pilatus, an Christus sit Rex: qui respondet, *Tu dicis me regem esse, ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum* &c. Quæ sunt adeo clara ut ipse Enjed. super Phil. II. 6. fateatur, *utiq; ab ipsa conceptione & nativitate à DEO designatum fuisse Christum Regem.* Verum, quod non tantum fuerit Rex designatus, sed reapse talis etiam in statu humili, hinc quoq; manifestum est, quod etiam tunc actu omnia ipsi à Patre tradita Matt. XI. 27. Joh. XIII. 3. Quanquam enim dominium illud suum ordinariè tunc non usurpaverit; sæpe tamen usum illius regiæ potestatis, exeruit, imperando dæmonibus, ventis aliisq; creaturis. Deniq;, si Christus verè fuit Messias, hoc est, unctus etiam ante resurrectionem, utiq; etiam fuit Rex ante resurrectionem. Connexio patet: propterea enim dicitur Messias & χριστὸς, quia in Regem vel in sacerdotem est unctus. At in sacerdotem unctum fuisse Christum ante resurrectionem negant Sociniani. Consequitur ergo, eũ in Regem unctum esse. Atq; id patet ex Luc. IV. 18. ubi habes regij muneris ἐνεργήματα. Dices, Davidem dudum fuisse unctum in Regem, antequam actu fieret Rex Respondeo, Davidem fuisse unctum, ut Saulo Regi succederet. Christus autem nullum habuit prædecessorem, cujus mors erat expectanda. Secundum est quod asseveramus, *Regnum Christi non habiturum esse finem.* Id negantibus adversariis opponimus loca Scripturæ ipsis Solis radiis scripta. Luc. I. 33. testatur Angelus: *Regnabit in domo Jacobi in æternum & regni ejus non erit finis.* Dan. II. 44. *Temporibus autem Regum istorum suscitabit DEUS cœli regnum, quod in secula non destruetur.* Et cap. VII. 14. 27. dicitur Messiæ *dominatus dominatus perpetuus futurus esse* &c. Quid ad hæc Sociniani? Opponunt locum I. Cor. XV. 24. Sed notandum est, illud Christi regnum finiendum, quod est occupatum hostibus delendis idq; per sceptrum Verbi, Psal. CX. 2. Quod ubi factum fuerit, expresse testabitur Filius, sibi ut homini hactenus tantam à Patre potestatem esse concessam, seq; una cum Ecclesia corpore suo subjectum esse DEO, ut Ipse DEUS non amplius per verbum, sed immediatè in electis regnet, eosq; excelsissima sui visione beet in æternum. Fiat! Fiat!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0123
DFG

EXERCITATIONUM ANTISOCINIANARUM
QUINTA
DE
JUSTIFICATIONE
ET CONVERSIONE
Quam
MODERATORE SPIRITU
ALTISSIMI
PRÆSIDE
VIRO
Magnifico, Reverendo admodum, Clarissimo
atq; Excellentissimo
DN. CASPARO MAURITIO,
S. S. Theol. Doctore ejusdemq; Professore Publico & Ecclesiaste vigilantissimo, Academiæ p.t. Rectore, Fautore Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo
Publicè ventilandam proponit
NICOLAUS EJLBRACHT.
Itzehoâ-Holsatus.
Habebitur in Auditorio Majori
ad diem 22. Martij
horis antemeridianis.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. 1655.

§. I.

Rostquam de Satisfactione Christi egimus, proximum est, ut de Justificatione hominis peccatoris coram Deo aliquid attexamus, quæ ex satisfactione Christi velut ex fonte rivulus fluit. Si enim Christus obedivit Patri suo tum patiendo pœnas, quas nos eramus commeriti, tum agendo ea, quæ nos præstare, utut tenebamur, minimè poteramus, & hoc quidem totum peregit vice & loco nostro, ultrò consequitur, universam Christi obedientiam nostram esse justitiam coram Deo. Sed hæc omnia pernegant nostri & Catholicæ veritatis hostes acerrimi Sociniani. Nam & satisfactionem Christi, hoc est, vicariam tum pœnarum persolutionem, tum exactissimam legis divinæ impletionem modis maximis oppugnant, nec ulla ratione concedere volunt, in ista nostram esse sitam justitiam qua coram Dei tribunali justificamur. *Satisfactionem Christi nobis imputari*, Socinus de Servat. *commentitiam vocat enunciationem, eamq; dicit esse quandam à sacris literis ipsoque cum humano tum divino sensu penitus abhorrentem salutis nostræ rationem: adeoq; fœdam & execrabilem sententiam, ut pestilentior error post homines natos in Dei populo non extiterit.* De temporibus V. T. quid sentiant, notum est. Smalcius cont. Franz. disp. 4. dicit *justificationem per fidem nunquam fuisse hominibus propositam ante Christum, vel fœderi inclusam, nec unquam promissum fuisse hominem fide justificatum iri; sed nudè tantum hominibus præcepta pro ratione temporis diversa à Deo tradita fuere, quibus obedirent, nulla etiam promissione aperta primitus addita justificationis alicujus, &c.* Et quanquam fortè fide dicant homines olim justificatos vel etiam in N. T. justificari non tamen intelligunt fidem in Christi meritum, cum *nullum meritum Christi agnoscant, & pro nugatoria fabula id totum habeant*, quæ sunt Smalcii verba contr. Franz. disp. 12. *Fides certè*, inquit, *propriè loquendo nemini nisi personæ eiq; divinæ debetur: in meritum autem Christi, etiamsi id tantum extaret, fidem requiri planè insolens & exoticum quiddam est.* Hæc Smalcius. Quid ergo sibi vult Scriptura, quæ hominem fide contendit justificari? Audiamus & miremur insolentissimam & planè barbaram insolentiam adversariorum. Socini de justif. pag. 58.

hæc verba sunt: *Fide in ipsum Deum, id est, fiducia in ipso Deo collocanda justificamur, quæ fides obedientiam præceptorum Dei, non quidem ut effectum suum, sed ut substantiam suam & formam continet atq; complectitur.* Et de Servat part. 3. cap. 2. *In Christum credere nihil aliud esse dicit, quam Deo ad ipsius Christi normam & præscriptum obedientem se præbere, idq; FACIENDO ab ipso Christo vitæ sempiternæ coronam expectare.* Si quis autem porro quærat, quænam sit hujus fidei & conversionis, quæ fide constat atq; absolvitur, causa, respondebit Socinus, *in ipso homine hujus fidei causam & fundamentum esse rectè faciendi & prava vitandi amorem & studium, adeoq; hominis probitatem & malitiam, hanc rejectionis, illam receptionis Evangelij causam esse,* quæ sunt verba Socin. De Servat. part. 4. cap 12. Vid Exerc I. §. 5. jam dicta. Ex his ad oculum patet, quæ sit Socinianorum de justificatione & conversione hominis sententia. Scilicet hoc agunt, ut nec justificationem nec fidem nec conversionem ex Christi merito manare homines credant, sed cum hæc tum illa tum ista à viribus humanis atq; obedientia & justitia propria unicè suspendatur. Ut autem ordine nostra hæc procedat Disputatio, *Patres in V. T. habuisse promissiones spirituales, de remissione peccatorum & vita æterna per satisfactionem & meritum Messiæ obtinenda:* adeoq; *nos pariter & illos per Christi passionem & meritum justificari atq; salvari: quatenus per fidem justitia Christi atq; obedientia tam activa quam passiva nobis imputatur & applicatur:* porrò *fidem non esse obedientiam sub spe futuræ immortalitatis præstitam: nec obedientia nos justificari posse, eò quod obedientia renatorum in hac vita non lapsibus tantum leviculis, verum etiam peccatis sat gravibus aliquando contaminetur:* deniq; *nec fidem, nec, quæ fide absolvitur, conversionem ullo modo viribus humanis & liberij arbitrij deberi vel adscribi posse,* Deo gratiam adspirante, demonstrabimus.

§. 2. ASSERTIO PRIMA: ***Patres in V. T. habuerunt promissiones spirituales de remissione peccatorum per Messiæ satisfactionem, & vita æterna per ejusdem meritum obtinenda.*** De remissione peccatorum manifesti sunt loci Psal. XXXII. 1. 2. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata, beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, &c.* Vid. Levit. XVI. 21. 30. Johan. I. 18. Ezech. XIIX. 20 22. &c. Act. X. 43. *Huic testimonium dant omnes Prophetæ, quod remissionem peccatorum accepturi sunt omnes, qui crediderint in nomen ejus.*

Et

Et cap. IV. 12. *In nullo alio est salus, nec aliud nomen hominibus δεδομένον datum est, in, quo sint salvandi.* Dices: Joh. I. 16. *hanc gratiam & veritatem demum per Christum in N. T. factam dici.* Respondeo verbis Socini in hunc locum: *Vox veritatis, inquit, Hebræa phrasi nihil aliud significat, quam Dei fidelitatem atq; constantiam, qui quod Patribus promisit, abundè per Christum præstitit.* Et notandm est, quod hic dicitur, ἐγένετο, quod ostendit, non tantum prædicatam, verum etiam factam, acquisitam meritoriè gratiam esse. Habuerunt ergo Patres gratiam in promissione, quam nos divino beneficio osculamur in complemento. Cœterum cum remissio peccatorum & vita æterna secundum adversarios non sint res distinctæ sed intelligatur vita æterna sub peccatorum remissione velut eidem inclusa Ostorod. Instit. cap. XXI. non relinquitur dubitandum, quin & promissionem de vita æterna veteres habuerint, æquè ac nos. Non dicimus, æquè clare, sed æque. Et fuisse quidem ipsis judicium extremum cognitum patet vel ex sola Epistola Judæ vers. 14. seqq. *Prophetavit autem de istis septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis, ut ferat judicium adversus omnes, & redarguat, quicunq; ex ipsis sunt impij, de factis omnibus, quæ impiè patrârint, deq; omnibus duris, quæ locuti fuerint adversus ipsum peccatores impij.* Præterea ex Joh. V 39. clara est assertio nostra: *Scrutamini*, inquit Servator, *scripturas* (utiq; V. Testamenti: aliæ enim tunc non erant) *quia arbitramini vos in ijs vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testantur de me.* Illustrari hic locus potest Dan. XII. 2. 3. & Ezech. XXXVII. 11. seqq. in quibus haud obscura vitæ æternæ & resurrectionis mentio fit. Excipies ad locum Johannis: ibi non dici, contineri vitam æternam in Veteri Testamento, sed id Judæos arbitrari. Respondeo, τὸ δοκεῖν non semper falsam imaginationem, sed sæpè veram sententiam significat, Luc. I. 3. XVII 9. Act. XV 22. 28. XXV. 27. I. Cor. IV. 9. VII. 40. &c. Porrò, aut benè arbitrati sunt Judæi, aut malè. Si benè, habemus quod volumus. Si malè: haud rectè Christus provocat ad eorum errorem: quin, si errassent Judæi, Christus id minimè taciturus fuisset, qui ubiq; falsas ipsorum opiniones refutat. Deniq; verba Christi manifesta sunt: *Illæ testantur de me.* Quæ omnem scrupulum tollunt. Ad locum Danielis excipiunt, ibi esse sermonem de Antiocho, deq; resurrectione metaphorica ad florem temporalem. Respondeo, nos inhærere verborum proprietati. Et obstat contextus: *Resurgent alij ad vi-*

tam æternam, alij ad opprobrium æternum. Ad locum Ezechielis excipiunt, loqui ibi Prophetam de reditu ex captivitate Babylonica. Sed rectè respondet Hieronimus: *nunquam poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio & futura crederetur: nemo enim de rebus non extantibus incerta affirmat.*

§ 3. His addendæ promissiones vitæ æternæ, tum quæ apertè, tum quæ per validam consequentiam in Veteri Testamento inculcantur. Apertè Lev. XIIX. 5. Qui fecerit hæc, vivet in eis. Dices: non intelligi hic vitam æternam, sed saltem temporariam. Respondeo, hanc glossam contradicere Christo apud Lucam Cap. X. 25. ubi ad quæstionem, quæ à Legisperito proponebatur: *quid faciendo vitam æternam consequar?* respondet Christus: *in Lege quid scriptum est &c. Hoc fac & vives.* Unde manifestum est, Legem exactè servantibus vitam æternam promissam esse. Neq; enim impertinenter respondisse Christum dici potest. Ex collatione autem Exod. III. 6 & Matt. XXII. 31. clarum est, illam promissionem: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, tum resurrectionem tum vitam æternam continere per legitimam consequentiam. Deniq;, Ubi fides est & spes vitæ æternæ, ibi oportet exstare promissiones vitæ æternæ. Atqui in V. T. fuit fides. E. Major est fundata in Disputatione & assertione Apostolica Rom. IV. 13. seqq. Unde negari nequit, promissionem & fidem se mutuo respicere: *Promissio*, inquit Apostolus, *per fidem: & Ideo ex fide ut firma sit promissio &c.* Neq; hic audiendus Smalcius Disp. IV. contr. Frantz. *Vitam*, inquiens, *æternam negamus unquam alicui promissam fuisse in Lege Mosis apertè & manifestè. Non negamus autem, omnes pios, qui ante Christum vixeruut, vitam æternam consecutos. Potest enim DEUS plus dare quàm promisit, nec negamus, potuisse homines sperare vitam æternam, etiamsi eis promissa non fuerat. Exstabant enim quædam, quæ spem illius excitare poterant, &c.* Hæc vel falsa sunt, sicut patet ex dictis, vel ἀσύστατα & inconsistentia, quæ adversario nolenti volenti aperta veritas extorsit. Ad Minorem convertamur. Hæc ipsis Solis radiis descripta est Ebr. XI. Dices, fidem hoc loco non esse fiduciam in promissiones specialem, sed generalem, ut, qui accedit ad DEUM, credat oporteat esse DEUM, & præmia largiri iis, qui ipsum requirunt &c. Respondeo, omnino fidem hanc in Christum ejusq; promissiones fiduciam includere: accessus enim ille ad DEUM non est, nisi per Christum Joh. XIV. 6. Eph. III. 12. Retributio autem præmii non potest referri nisi ad gratuitam in Christo

pro-

promissionem Gal. III. 17. 18. II. Cor. I. 20. Deinde fidem non esse aliquid lumine naturæ sed revelatione constans, quæ continet promissionem, patet tum ex vers. 3. 5. 10. 16. &c. de quibus infra dicendum erit, tum ex definitione fidei, quæ proponitur v. 1. Fides est ἐλπιζομένων ὑπόστασις &c. hoc est, est firma exspectatio, quæ res speratas & futuras velut præsentes sistit, & demonstrat seu convincit ea, quæ non videntur, atq; certo persvadet animis, ne dubitent de iis, quæ nondum comparent, v. g. de resurrectione, vita æterna &c. Quid si quis cum hoc capite XI. ad Ebræos conferat historiam Patriarcharum, evidentior nostra fit assertio. Neq; enim benedictio, quæ in Messia toties promittitur Abrahæ & semini ejus, adeoq; omnibus familiis terræ, significare potest benedictionem temporariam: hanc quippe nec Christus ipse nec ejus membra respexerunt, ut patet Ebr. XI. 10. 16. 25. seqq. Jacobi illud: *Salutare tuum exspecto ô Jehovah*, sic ברכתיך Chaldæus: *Non exspecto salutare Gideon filij Joas, quæ est salus temporalis; neq; salutem Samson filij Manoæ, quæ est salus transitoria, sed exspecto redemtionem Messiæ Filij David, qui venturus est ad accersendum sibi filios Israel, cujus redemptionem desiderat anima mea.* Hæc ille. Atq; hinc est, quod in V. T. prædicitur ortus Messiæ ex Davide, II Sam. VII. locus nativitatis Mich. V. ingressurus Hierosolimam Zach. IX. mors Dan IX. mortis genus Psal. XXII. sepultura & resurrectio Esa. LIII. adscensio Psal. LXIIX. &c.

§. 4. Jam demonstremus, *Patres V. T. æquè ac nos remissionem peccatorum consecutos sive justificatos, & salvatos esse per Christi meritum atq; passionem.* Unde patebit falsos esse adversarios, negantes mortem Christi causam esse remissionis peccatorū etiam eorum, qui in V. T. fuerunt, item, priscis illis in V. T. fuisse necessariam mortem Christi ad justificationem, Smal. lib 2. cap. 10. pag. 280. de naturali Dei filio. Primo producimus apertum locum Esa LIII. 4. seqq. *Verè languores nostros* (Esaiæ & aliorum V. T. Patrum *ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, livore ejus nos sanati sumus, conjecit DEUS omnium nostrorum iniquitates & pœnas iniquitatum in eum.* Quid hoc loco manifestius? quid magis efficax ad adstruendam justificationem Veterum per meritum & satisfactionem Christi? Additur enim: *agnitione sui justificabit servus meus multos.* Qui ergo justificati sunt

in

in Veteri Testamento, justificati sunt agnitione Messiæ, quatenus ille dolores nostros portat &c. Et hinc est, quod in N. T. non tantum sine ullo temporis discrimine Christo dicitur *pro omnibus gustasse mortem* Ebr. II. 9. *dedisse se ἀντίλυτρον pro omnibus* I Tim. II. 6. verum etiam *omnes* dicuntur *justificari per redemtionem in Christo* Rom. III. 24. *Omnes enim peccaverunt & destituuntur gloria Dei* v. 23. Qui ergo peccaverunt non aliter justificantur quam per redemtionem in Christo, Atqui omnes credentes qui ab orbe condito vixerunt, peccârunt. Igitur justificantur per redemtionem in Christo. Quæ consequentia Apostoli notanda est contra exceptionem Socinianorum dicentium per illa verba: *dolores nostros &c.* item *omnes*, intelligi debere omnes sub N. T. Sed inhæremus literæ, inhæremus contextui. Litera de Vet. Test. loquitur: contextus demonstrat, mortuum esse Christum pro iis, *qui ut oves errabant*, quod etiam de Veteribus omnino pronunciandum est. Quid autem per omnes intelligat Paulus, ex jam dictis manifestum est, ex litera pariter & contextu. Adde vers. 21. Ubi apertè Paulus: *nunc absq; lege justitia Dei manifestatur, testimonio comprobata à Lege & Prophetis, justitia per fidem Jesu Christi.* Hic nota testimonium legis & Prophetarum de eadem justificatione fidelium Vet. & Nov. Testamenti, quod opponendum est adversariis nimiopere contendentibus, justificationem per fidem Jesu Christi non fuisse propositam nec promissam veteribus. Expresè contrarium asserit Paulus Gal. III. 8 9. *Prævidens autem Scriptura, quod ex fide gentes justificet Deus, prius Evangelium sive rem lætam nunciavit Abrahæ, benedicentur in te omnes gentes. Itaq; qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abrahæ.* Quanquam rectè id dicatur tempore Novi Testamenti manifestari, tum quia absq; lege manifèstetur justitia, quæ in V. T. cum lege manifestabatur, tum, quia non adeo clarè in V. T. erat proposita, nec in univèrso terrarum orbe erat promulgata. Adde similia Pauli loca, v. g. cum ad Gal. IV. 4. dicit Deum *misisse filium suum, ut eos, qui sub lege erant* (Patres Vet. Testamenti pariter ac nos) *redimeret*: & Rom. V. 12. 18. 19. ubi disertè docet *per Adamum in mundum introïsse peccatum, mortem & condemnationem: per Christum vero justitiam & salutem, adeò ut per unius* (Christi) *obedientiam justi constituantur multi.* Hinc illa regula generalis apud Paulum, complexa pios Vet. & Nov. Testamenti Rom. I 17. *Justitia Dei in eo revelatur ex fide in fidem sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivet.* Gal. III. 11. *Quoniam autem in lege nemo* (NB.) *justificatur apud Deum,*

Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivet. Deniq; quam late se extendit Adami peccatum, tam latè se extendit Christi reconciliatio. Illa est universalis. E. & hæc. Consequentia est ipsius Pauli Rom. V. 15. 18.

§. 5. Inprimis expendi merentur diversa divinissimæ ad Ebreos Epistolæ loca. Ebr. IX. 15. *mors Christi* dicitur *interceßisse ad redemtionem earum transgreßionum, quæ sub priore testamento fuerant.* Et vers. 25 *Neq; ut sæpè offerat seipsum, sicut Pontifex ingreditur in sacrarium quotannis cum sanguine alieno (alioquin oportuisset ipsum sæpius passum fuisse à jacto mundi fundamento) sed nunc semel in consummatione seculorum ad peccatum per immolationem sui ipsius è medio tollendum factus est conspicuus & sicut illud statutum est hominibus, ut semel moriantur, postea verò judicium: ita &c.* Adde quæ præcedunt: *sine sanguinis effusione non fit remißio, & propterea cœlestia*, hoc est, cœlum ingressura *potioribus victimis*, quam fuerunt Leviticæ, *expiari* debuerunt. Adde Cap. XI. integrum, in quo luculentum extat testimonium salutis Veterum per meritum Christi. Unde Ebr. XIII. 8. Christus idem dicitur *hodie, heri & in æternum &* Apoc. XIII 6. *Agnus* dicitur *mactatus à jacto mundi fundamento.* Sed contra hæc loca satis aperta variæ sunt adversariorum exceptiones. Ad primum locum dicunt, esse sermonem de vi mortis Christi, quam habeat sub novo fœdere, per quam expiata sint mortifera illa peccata, quæ vi prioris fœderis expiari non poterant, sicut Act. XIII. 38. annunciatur Judæis remissio peccatorum & ab omnibus à quibus non potuerint in lege Mosis justificari &c. Respondeo clara esse verba: redemtas esse morte Christi transgressiones eas quæ sub priore fœdere fuerant. Et dixerat Apostolus, expiationes legales in & per se non potuisse ad conscientiam pertingere: fuit ergo mors Christi necessaria ut conscientiæ Patrum mundarentur, ne ipsis in æternum esset pereundum. Ideò subjicit: *ut vocati promißam æternam hæreditatem acciperent.* Neq; hinc excludimur nos: *quoniam de nobis potius quiddam providerat, ne illi absq; nobis consummarentur,* Ebr. XI. 40. Dices: in V. T. nondum fuisse mortem Christi. Respondeo, fuisse in decreto & sponsione, unde Petro I. cap. I. 20. *redemtio* dicitur *facta per sanguinem Christi agni inculpati & immaculati, præcogniti ante jacta mundi fundamenta, manifesti autem facti ultimis temporibus.* Et sicut idoneo sponsore interveniente debitor dimittitur, quantumvis debitum actu nondum sit solutum: ita facta sponsione pro nobis à Christo agno illo, qui tollit peccata mundi, Deus debitores dimisit, etiam tunc quando non-

dum λύτρον erat actu persolutum. Ad secundum locum excipiunt: Τὸ à jacto mundi fundamento non ita exactè capi, sicut nec adeò rigidè capi potest ejus oppositum, consummatio seculorum, nec τὸ ἐφ' ἅπαξ significare necessitatem talem, sed convenientiam: sensum esse: si Christus se sœpius offerre debuisset, debuisset etiam sœpius pati, cum sine passione se offerre non posset. Verum quia sacrificii vis non pertinet ad eos, qui ante illum vixerunt, sed ad illius & sequentium temporum homines, necesse fuisset, ut Christus, antequam nos esse desijssemus, ad quos novum fœdus & sacrificii ipsius vis pertingere debebat, sœpius pateretur. Respondeo, futilitates hasce ex litera & contextu refutari. Scopus Apostoli est, ostendere, Christi sacrificium non ejus esse impotentiæ, ut sicut Levitica, sœpius iterari debuerit. Si enim Christus semetipsum sœpius debuisset offerre, utiq; non tantum conveniens, verum etiam summè necessarium fuisset eum sœpè passum ab origine mundi. Cœterum inhæremus vocibus, à jacto mundi fundamento, quæ quomodocunq; sumantur, sive exactè sive minus, planè non poterit excludi Vetus Testamentum, eò quod in tempora Novi fœderis hæc forma loquendi non quadret, sed potius ejus oppositum *in consummatione seculorum, in plenitudine temporis, &c.* Nec dici debuisset, à jacto mundi fundamento eum pati oportuisse, sed ab adventu suo in carnem ad finem seculi. Manifestum ergo est, ad Veteris Testamenti fideles fructum passionis Christi pertinere. Cur enim ab origine mundi Christum pati oportuisset, si ad V. T. passionis fructus non pertineret? Nempe Levitica sacrificia iteranda erant, quia tantum adferebant fructum offerentibus non ipsorum posteris, non temporibus præcedentibus vel etiam secuturis: at sacrificii Christi initerabilis illa vis est, ut pertingat ad fideles à jacto mundi fundamento usq; ad ejusdem destructionem, sicut judicium post mortem ad omnia se extendit peccata quæ ab origine mundi ad ejus usq; finem toto vitæ tempore homo commisit. Quæ antithesis diligenter notanda. Sequitur locus tertius, ex quo patet, fideles V. T. qui omnino sunt remissionem peccatorum consecuti cœlumq; ingressi, intercedente sanguinis (non victimarum legalium, quæ conscientiam mundare non potuerunt, sed) Christi effusione mundatos cœlumq; ingressos fuisse. Ad Cap. XI. excipiunt, ibi quidem commendari Veterum fidem, sed hanc non describi à merito mortis Christi. Respondeo, contrarium esse tum in Abele, qui per fidem obtulit majoris pretii sacrificium, quam Cain, utiq;

utiq; quia mortis Christi sacrificium fide intuebatur, eminusq; cum aliis Patriarchis contuebatur semen benedictum vers. 13. 14. 18. tum in Mose & Israelitis, quorum ille expresse dicitur *probrum Christi* (Conf. cap. XIII. 13.) *suas divitias duxisse*; hi vero *pascha & effusionem sanguinis* dicuntur *per fidem peregisse* respicientem pascha nostrum Joh. XIX. 36. I. Cor. V. 7. *per fidem transgressi mare rubrum, bibisse de petra spirituali Christo* I. Cor X. 1. 2. seqq. Confer vaticinia V. T. de morte Christi Ps. XXII. Esa. LIII. &c. Ad locum Ebr. XIII. 18 dicunt τὸ heri significare tempus non diu præteritum, Christum vero esse doctrinam Christi, hoc sensu: Christi doctrina, quæ non ita pridem cœpit, eadem est nunc, & eadem futura est semper &c. Respondeo, τὸ heri hic non poni separatim sed junctim cum aliis temporis circumstantiis, & propterea denotari æternitatem Christi ejusq; officii, quod est utriq; Testamento commune & perpetuum atq; invariabile, non obstante cultu Levitico in discrimine ciborum &c. consistente: hujus enim ad consequendam salutem nullum esse usum. Superest Apocalypseos locus, in quo finguntur hyperbaton, hypallagen & metathesin adversarii, voluntq; verba, ab origine mundi referenda non ad proximè antecedens, sed ad inscriptionem in libro vitæ &c. Sed hoc non est sensum è scriptura efferre, verum per vim & detorsiones inferre. Quin etsi hoc ipsis largiremur, quod tamen minimè factum volumus, id tamen concedendum nobis foret, agnum illum habere librum, in quo ab origine mundi sint inscripti prædestinati, idq; qua est mactatus: unde consequitur, salvatos esse intuitu hujus mactationis, quicunq; sunt libro vitæ inscripti.

§. 6. Eadem audacia, qua invadunt Apocalypseos locum adversarii aggrediuntur clarissimum locum, qui est Actuum Apostolicorum Cap XV. 10. 11. ubi dicit Petrus: *Quid tentatis jugum imponere collo discipulorum, quod neq; nos neq; Patres nostri portare potuerunt? Imo per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos servatum iri, sicut & illos.* Hic Photiniani per voculam nos dicunt intelligendos esse Apostolos, per illos verò id quod remotius est, discipulos nempè. Verum clara est hujus loci sententia. Quæstio erat instituta, quo modo essent salvandi gentiles, an etiam essent salvandi per observationem legis. Respondet Petrus, id fieri non posse, eò quod lex sit onus, quod nemo potuerit portare per quam nec ipsi nec Patres potuerint salvari. Quibus ergo fuit à Deo fuit impositum importabile legis jugum, de illis affirmat Petrus, per gra-

tiam Jesu Christi eos salvari. *Nos*, inquit, *Judæi, nostriq; Patres.* Nulla enim ratione pronomen relativum ad remotius referri potest, nisi omnia cum controversiæ statu invertere & torquere velimus. At si ad propinquius referatur, sicut fieri oportet, nihil pervertitur, cuncta sponte fluunt. Ethic considerandæ exempla Patrum Vet. Test. quæ rem totam in clara luce collocant, inprimis Abrahami ante Legem, & post legem latam Davidis. Quod autem Abrahamus crediderit in Christum, & hac fide benedictionem justificationem & salutem consecutus sit, patet inde, quia in Christo facta est ei promissio benedictionis Gal IV. 16. ipsaq; adeo pactio sive fœdus cum Abrahamo initum respexit Christum, v. 17. Et quid manifestus est vers. 13. 14. *Christus factus pro nobis maledictum redemit nos à maledictione legis, ut benedictionem Abrahæ promissam consequeremur.* Sed quid multis? Ipse Apostolus luculenter ostendit totis capitibus IV. Rom. & III. Gal. Abrahamum non operibus suis, sed fide in promissum Messiam esse justificatum, cujus fidei specimen edidit oblatione Isaaci, quæ tanquam manifestus typus respexit antitypum oblationem Christi. Hinc factum, ut *videns diem Christi & gavisus* dicatur Joh. IIX. 56. Dices: sic pugnare Paulum cum Jacobo cap. II. Respondeo, Paulum agere de vera vivaq; fide, qua sola dicit hominem justificari: Jacobum de fide hypocritica, & externa fidei professione, quam negat justificare vers. 18. 19. & rectè. Neq; Abrahamus tum demum est justificatus, cum Isaacum offerret, qui dudum justificatus erat Gen XV. sed tunc cognitus sive declaratus est justus Gen. XXII. 12. Justificari ergò hic est justum declarari, comprobari, sicut solent haud raro verba quæ esse vel agere quid significant, non tam essentiam vel actum quam ejusdem manifestationem denotare, quod tum in genere adductis evidentibus exemplis, tum in specie de voce justificari probat CL. Glass. Gram. Sacr. lib. 3. tract. 3. pag. 255. seqq. Digna notatu sunt, quæ pag. 256. observat ad 22. *Vides, quod fides administra fuerit operibus ipsius (hoc est, produxerit ejus opera* Gal. V. 6. Τὸ συνεργεῖν *enim quandoq; significat simpliciter operari* Marc. XVI. 20. *Domino cooperante, hoc est, operante per Apostolos,* I. Cor. XVI. 16. *cooperari & laborare ut synonima conjunguntur) & ex operibus fides ἐτελειώθη perfecta fuit, hoc est, manifestum factum fuit, quod esset perfecta seu vera & sincera. Fides eo perfectior dicitur, quo plenius perspecta est & cognita, & quo efficacius vires suas exerit, quæ prius non ita apparebant: ut si dicatur alicujus arboris bonitas tum fuisse perfecta cum optimum*

aliquem

aliquem fructum edidit. Nam quia de causa judicamus ex effectis, videtur quodammodo causæ vis vel minui vel augeri ex effectorum proportione. Sed hoc ex effectis intelligitur quidem & æstimatur, non autem emanat, ut rectè Beza scribit. Hæc Glassius. Quæconfirmantur Gen. XXII. 12. *Jam cognovi &c.* Quod de Abrahamo probatum dedit Paulus, idem asserit de Davide, ut demonstret gratuitam salutis per Christum fide apprehensum promissionem & ante legem & sub lege adeoq; omni tempore viguisse. Quod autem David crediderit in Messiam passurum & resurrecturum, patet ex Actis II. 30. *Propheta cum esset & sciret, Deum sibi jurejurando juraſſe, fore, ut ex fructibus lumbi ipsius, quod ad carnem attinet, Christum suscitaret, quem collocaret super ejus thronum præscius locutus est de resurrectione ejus.* Adde Psal. CX. 1 ubi *per Spiritum* vocat *Christum Dominum suum*: & II Cor. IV. 13 ubi per *eundem spiritum fidei* dicitur *credidisse & locutus esse*: deniq; Rom. IV. 5. seq. Justitiam ex fide quæsivisse atq; invenisse. Nec Abraham tantum & David, verum *duodecim tribus Israelis hanc* fidem hanc spem sunt professæ Act. XXVI 6. 7. & fide in Messiam ærumnas hujus vitæ omnesq; hostes superarunt. Unde Messias dicitur *consolatio & redemtio Israelis* Luc. II. 25 38. quem *inculcarunt omnes Prophetæ inde à Mose & Samuele* Act. III. 21. seqq.

§ 7. Sequitur ASSERTIO TERTIA: *Justificamur fide, per quam nobis imputatur & applicatur justitia Christi*, hoc est, *tum satisfactio Christi sive obedientia passiva, tum meritum Christi sive obedientia activa.* Hæc assertio duobus constat membris: quorum prius est imputari nobis Christi passionem, posterius imputari Christi actionem sive Legis impletionem. Prius probamus sequentibus argumentis. Primum repetimus, quæ sunt de passione Christi pro nobis asserta & vindicata Exercitatione superiori. Stante illa vicaria satisfactione, ultro sequitur imputatio facta tum ab illo, qui satisfactionem præstitit, tum ab illo, qui eandem acceptat. Nulla enim ratione potuisset illa præstari satisfactio, nisi illi, pro quo facta est, imputaretur. Deinde urgemus expressam Scripturæ literam Rom. IV. ubi vel decies talis imputationis fit mentio. Et ne ullus scrupulus supereſſet, ostenditur, justificationem hominis consistere in remissione peccatorum, & consequenter esse imputativam. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata, Beatus vir cui non imputat Dominus peccatum.* At nisi justificatio hominis consistat in illa peccati remissione, Pauli concludentis illam ex hac probatio nulla erit. Rursum

peccata remitti est non imputari, ut II. Cor. V. 19. II. Tim. IV. 16. Job. XLII. 8. Et agnoscit Socinus, *cum legimus, peccata nobis non imputari, idem esse atq; peccatorum nostrorum nullam rationem haberi, ex quo consequitur eorum nos pœnas non dare, sive ea nobis remitti* part. 4. De Servat. cap. 4. Si autem porro quæramus, unde fiat, quod nobis remittantur peccata, respondet Paulus II. Cor. V. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Unde liquet, Christo imputata esse peccata nostra, ut nos justitiam quæ in impunitate est, consequeremur, sive, ut nos propter satisfactionem Christi à Deo absolveremur, justiq; pronunciaremur. De qua re dictum est Exercitatione præcedenti. Deniq;, si quæras, cur non remittuntur omnibus hominibus peccata, sed tantum paucis, respondet Scriptura, Id inde fieri, quia non omnes credant in Filium Dei, qui nos eripuit ab ira ventura: cœterum illis, qui credant, *fidem reputari sive imputari ad justitiam* Rom. IV. 3. 5. 9. 10. 22. id factum esse Abrahamo, id nobis fieri credentibus in Christum traditum propter delicta nostra & resuscitatum propter justificationem nostram vers. 24. 25. Unde consequitur fidem justificare, quatenus beneficium mortis & resurrectionis Christi apprehendit, sibiq; applicat. Hoc enim fidei munus proprium est, *recipere Christum* Joh. I. 11. Rom. V. 11. 17. Gal. III. 14. Colos. II. 6. donec eum plenè comprehendamus, quod in altera fiet vita Phil. III. 12. seqq. Dices: fidem imputari ad justitiam idem esse ac fidem reputari pro justitia, non aliena, sed propria, pro qua, id est, cujus loco sive ad quam fides nobis imputetur, sic ut propter fidem perfectè justi censeamur, quantumvis simus multiplicis injustitiæ rei &c. Respondeo, quod de propria justitia dicitur, expressè refutari Phil, III. 9. ubi Paulus negat justitiam illam propriam & Rom. X. 3. culpantur Judæi propriam quærentes justitiam statuere, ut & Cap. V. 18. I. Cor. I. 30. ubi Christi justitia justificari dicimur. Neq; uspiam in Scripturis dicimur propter fidem justificari, ita ut fides hic spectetur tanquam virtus aut opus bonum: omnibus enim bonis operibus justificatio præcisè denegatur, & imputatio fit *non operanti* Rom. IV. 5. *absq; operibus* v. 6. nec dici posset, hac hypothesi stante, justificatio esse justificatio impii, quin, si fides esset formaliter nostra justitia certè gloriari possemus apud Deum, tanquam innixi alicui, quod nostrum est. At omnis gloriatio exclusa est Rom. III. 27. Et cur diceretur, per fidem in sanguine Christi recumbentem justificari hominem, nisi Christi passio nostra per

fidem

fidem fieret? Dices: nuſpiam in Scriptura dici fide applicari beneficia morte Chriſti parta. Reſpondeo, beneficia illa eſſe remiſſionem peccatorum & impunitatem. Atqui illa omnino fide applicantur, ſecundum illa: *Confide fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua: qui credit in filium Dei non peribit, non condemnabitur.* Et ſicut adſpectus ænei Serpentis indemnitatem præſtitit, quatenus adſpicientes beneficium promiſſum acceptârunt ſibiq; applicuerunt: ita aſpectu Chriſti, qui fit per fidem, applicatur credenti beneficium impunitatis & remiſſionis peccatorum Joh. III. 14. 15. Tandem adducimus locum Eſa. LIII. 11. ubi dicitur Chriſtus *agnitione ſui juſtificaturus multos & ipſorum iniquitates bajulaturus.* Hic poſterius eſt ratio prioris. Juſtificaturus eſt agnitione ſui, ſive fide quia vel quatenus bajulavit ipſorum peccata.

§. 8. Sed ſufficere iſta poſſunt ingeniis piis & moderatis. Reſtat circa punctum hoc prius, ut difficultates quasdam, quas movent adverſarii contra imputationem paſſionis Chriſti, breviter expediamus. Dicunt, non imputari ea, quæ verè habemus, ſed ſatisfactionem Chriſti nos verè habemus. E. Reſpondeo, etiam ea imputari, quæ verè habemus, ut ſi reprobis dicas imputari peccata, quæ omnino verè habent. Sic Job. ult. v. 8. dicit Deus, *ſe faciem Jobi ſuſcepturum, ne amicis ejus imputetur ſtultitia &c.* Atq; hoc pacto cuivis fideli paſſio Chriſti verè & realiter imputatur, ac ſi ipſi ſatisfeciſſent. Dices, tali imputatione non eſſe opus, ſufficere, quod ſatisfecerit Chriſtus. Reſpondeo non ſufficere, ſed requiri etiam ex ordinatione Dei applicationem per fidem, ut ſponſoris ſolutionem & ſatisfactionem reus acceptet, ſibiq; propriam faciat. Dices: ſi Chriſti ſatisfactio nobis imputatur, E. imputatur totius mundi redemptio & Filii Dei Divinitas &c. Reſpondeo, ſatisfactionem Chriſti & Divinitatem eſſe cauſam propitiationis & juſtitiæ noſtræ. Neq; tamen hinc ſequitur, cui imputatur ſatisfactio Chriſti, ei quoq; imputantur omnia effecta illius, v. g. redemtio mundi, Pauli, Petri &c. Cauſa eſt univerſalis, cujus effecta omnia non debent in unum individuum compingi. Solis calor eſt cauſa generationis omnium animalium. Neq; tamen quiſquam homini applicet generationem leonis & equi, quia & horum generationi calor Solis applicatur. Differunt calor ejusq; applicatio. Ille eſt communis: hæc ſingulorum individuorum propria. Sic ſatisfactio Chriſti eſt communis, numero tamen differunt imputatio & applicatio Petri, Pauli, mea, tua. Et quemadmodum non neceſſe

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0138
DFG

cesse imputari effecta, imputata causa; ita rursum non est necessum imputari causam, imputato & applicato effectu. Sic applicatur coloribus Solis illuminatio, quando illuminantur, neq; tamen Sol ipse fiunt. Neq; necessum est, applicari divinitatem, applicata satisfactione, quanquam neq; id diffitendum, beneficio Christi nos θείας φύσεως κοινωνὸς fieri II. Pet. I, 4. Dices: si satisfactionem Christi non habemus, fieri non posse, quin absolvamur justiq; censeamur, ideoq; non opus esse conditione fidei & imputatione. Respondeo, confundi satisfactionem cum ejus fructu & effectu. Neq; enim existimandum satisfeciisse pro nobis Christum ita, ut protinus simus absolvendi, sive credamus, sive minus. Scriptura satisfactionis fructum fidei conditione definit, sicut dictum est §. præcedenti. Interim ipsam satisfactionem sine omni conditione esse factam concedimus, quod attinet præcisè & acquisitivè, (ut sic dicam,) ipsam λύτρωσιν persolutionem, nec id volumus, sub fidei conditione præcisè satisfactum esse, sed conditionem fidei requiri, si fructu satisfactionis potiri cupiamus. Quod exemplo captivorum v.g. in Turcia quorum liberationi & λύτρωσις persolutio & certa conditio sit annexa, item typo Serpentis ænei efficacis remedii sed intuendi illustrati potest. Dices: absurdum esse, alicui beneficium dari sub conditione fidei, si scilicet credat, sibi beneficium datum esse. Sed responsio ex dictis petenda. Non enim beneficiū hoc mundo toti datum à conditione fidei nostræ dependet: sed ad applicationem illius beneficii fide nostri opus est. Ab æterno enim dilexit Deus mundum, eiq; Filium mediatorem destinavit, ita ut ad hoc condendum decretum Dei fides nostra nihil attulerit momenti. Sed placuit Deo non nisi credentibus hoc tantum beneficium impertire. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam Joh. III.

§. 9. Connexa sunt impunitas nostra, & jus adeundi vitam æternam, adeoq; qui absolvitur à pœna in judicio divino, protinus consequitur jus vitæ æternæ. Differunt tamen formaliter, quæ materialiter conveniunt. Est enim *Christus à Deo nobis factus justitia* tam quæ in agendo, quam quæ in patiendo sita est: *sanctificatio* nimirum *& redemtio.* I. Cor. I. 30. Redemtio per satisfactionem: sanctificatio per obedientiā activam. Et hanc satis superq; probant, quæ superiori Exercitatione dicta sunt. Si enim Christus pro nobis Legem exactè implevit, ut vitam æternam adipiscceremur, sequitur, illud ipsum meritum Christi per

fidem

fidem nobis imputari. Id quod expresè Paulus docet Phil. III. *Duco omnia damnum esse, &c. ut Christum lucrifaciam, & comperiar in eo, non habens meam justiam, quæ est ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi, id est, justitiam quæ est ex Deo per fidem.* Ubi nota, Paulum distinguere justitiam nostram ex Lege & justitiam ex fide: illam excludere, hanc amplecti. Confer Rom. III. Gal. II. Eph. II. Tit. III. in quibus locis justitia ex lege & operibus planissimè à negotio justificationis removetur. Dices: intelligi legem ceremonialem. Respondeo, intelligi illam legem, per quam est agnitio peccati Rom. III. VII. quam qui transgrediuntur rei sunt furti, homicidii Rom. II. III. quam stabilit vers ult. At ceremonialem non stabilit, sed abrogat Colos. II. 16. Adde, quod universaliter dicit, nullam carnem esse justificandam ex operibus legis: Unde sequitur, illam legem intelligi, cui non tantum Judæi, verum etiam gentes obnoxiæ erant, hoc est, legem moralem. Deinde urgemus vim vocis imputandi, λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην &c. quæ toties occurrit apud Paulum, cujus natura expresè indicatur, cum dicitur fides imputari ad justitiam idq; non operanti, sive sine operibus. *Ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia,* non utiq; opus fidei, sed ejus objectum justitia Christi nostra censetur esse per fidem: hæc enim vis τῦ ἐλλογεῖσθαι, λογίζεσθαι, חשב æstimari quasi sua essent, Philem. 18. *mihi imputa.* De qua re modo dictum. Quid autem clarius illo dicto Pauli Rom. V. *sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam justi constituuntur multi.* Dices, unius obedientia dici constitutos multos justos, quatenus omnes obediverunt, qui à Christo sunt prognati. Respondeo, omnes qui Christo per fidem sunt insiti, obedire teneri præceptis Christi, adeoq; studere, ut obedientiam reapse præstent. Sed negamus hac obedientia justos constitui coram Deo: imo, si hac obedientia justi essent coram Deo, falsum esset, quod dicit Paulus, unius obedientia multos constitui justos, item, se non habere justitiam quæ est ex Lege &c. Sequeretur, nos faciendo ea, quæ Lex mandat, salutem æternam adipisci, quod est contra Paulum Gal. III. II. 12. *Quoniam in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivet, lex autem non est ex fide sed qui fecerit ea, vivet in eis.* Relinquitur ergo, fide in meritum Christi jus vitæ æternæ nos consequi, quatenus scilicet ea sibi applicat Christi obedientiam pro nobis Legi præstitam & promissiones de Vita æterna gratis nobis danda. Dices:

talis applicationis in Scriptura non fieri mentionem, quin gratuitam vitæ æternæ dationem cum satisfactione pugnare. Respondeo, *fidem* esse *rerum sperandarum* Ebr. XI. 1. Unde Abrahamus dicitur *sub spe credidisse* Rom. IV. Et Gal. V. 5. *Nos ex fide spem justitiæ exspectamus.* Hinc patet, fidem sperare vitam æternam, quæ ex justitia Christi manat: sequitur ergo, fidem absq; peculiari applicatione non esse. Idem patet ex natura promissionum, quæ nullæ sunt absq; peculiari applicatione. Unde factū, ut non tantum Apostoli peculiariter applicarent promissiones illis, quos docebant I. Cor. I. 4. &c. sed & ipsi fideles sibi promissiones applicarent tum subsumendo sub Majoribus universalibus Ephes. II. 1. seqq. &c. tum utendo Sacramentis, quæ sunt σφραγίδες fidei, ut infra videbimus. Quod autem dicitur de pugna satisfactionis Christi & gratuiti doni, supra explosum est. Vita æterna est & manet respectu nostri gratuita: quin ipsa satisfactio est gratuita respectu gratuiti decreti, doni & acceptationis, dum satisfactionem alienam Deus decrevit, largitus est in Christo & acceptavit ratamq; habuit.

§. 10. Nunc quasdam adversariorum objectiones diluamus. Primò, si nostra justitia esset justitia Christi, sequitur, nos omnes æquè justos esse. At hoc absurdum. Respondeo, justitiam imputativam non esse confundendam cum inhærente. Concedimus, illam esse æqualem in omnibus justificatis: at hanc admittere gradus est manifestum. Dices: perire omne studium sanctitatis & justitiæ inhærentis, admissa hac justitia imputativa. Respondeo, vetus hæc objectio est nota temporibus Apostolorum. Cum enim Paulus justitiam imputativam inculcaret, exorie-bantur, qui dicerent, operibus bonis non esse studendum. At hos repressit tum Paulus ipse Rom. VI. 1. (quo in loco Oecumen. τὸ μὴ γένοιτο notat de manifestè absurdis dici) & alibi, tum Apostolus Jacobus capite secundo. Eadem hodie fabula agitur mutatis personis. Vitium hominum non debet præjudicium creare veritati. Necessaria est justitia imputativa: necessarium quoq; est homini justificato studium sanctitatis & bonorum operum. *Reddet enim Deus unicuiq; secundum opera ejus: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis vero qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam operantis malum: gloriæ autem & honor & pax omni operanti bonum.* Rom. II. 6. seqq. Hæc nos non minus

nus vera esse credimus, quam adversarii. Judicabit nos omnes DEUS, cujus judicio terminabuntur illæ controversiæ, quæ nunc hominum vitio finiri nequeunt, sicut olim αὐθάδεια amicorum Jobi & libido contradicendi finem ante sortiri non poterat, quàm ipse Deus de turbine responderet & litem dirimeret. Sed pergamus. Dices: si justitia Christi nostra est justitia, utiq; nos æquè justi ac ipse Christus essemus. Resp. Christum esse justum inhærenter, nos imputativè tantùm, non ἀπλῶς, sicut Christus, sed κατά τι. Est enim imputatio opus Dei liberum, ergo tantum efficitur, quantum decrevit, qui imputat. Vult interim DEUS perfectissimo, qui in nos cadit, modo nos justos esse. Dices: si per justitiam Christi nos simus filii Dei, Ergo Christus poterit dici peccator & filius Diaboli, quatenus nostra ipsi sunt peccata imputata. Respondeo, negando connexionem. Nemo propriè peccator, nisi peccatis onustus propriis, nemo filius Diaboli ob aliena peccata dicitur, sed tantum ob sua. At Filii Dei appellatio verè competit illi, qui aliena justitia nititur. Dices: justitiam fidei non posse esse justitiam Christi, quia Christus non habuit fidem in suam justitiam. Respondeo, aliquam esse respectuum diversitatem justitiæ Christi & justitiæ nostræ. Damus, quia Christus talem fidem non habuit, non fuisse in eo justitiam imputativè, &, quia in nobis est fides, non esse illam in nobis inhærenter. Interim optimè convenit justitiæ Christi cum fide nostra, sicut supra ostensum. Eandem quidem habemus justitiam, sed non eodem modo. Deniq; dices: si justitia Christi nobis imputatur, aut tota imputatur, aut pars. Non pars, quod manifestum. Nec tota, quod enim totum uni imputatur, illud alteri imputari nequit. Respondeo, totam justitiam Christi nobis imputari, sicut tota nobilitas unius benè meriti viri in omnes posteros in solidum transcribitur, eisq; imputatur, & totum vitium, puta, crimen læsæ majestatis, peccatum originale in omnes posteros transcribitur.

§. 11. Ex dictis constat, quid de fidei natura, per quam salvamur, sit sentiendum. Nempè tota à promissionibus divinis pendet, quæ cum sint & veræ & bonæ, consequitur, quatenus veræ sunt, eatenus fidem in intellectu esse & agnitione, scientia, assensu atq; πληροφορία quadam constare, quatenus autem bonæ sunt, de remissione peccatorum, de Christo victore Satanæ, mundi, vulnerato propter peccata nostra, datore vitæ æternæ &c. eatenus esse fidem in voluntate, atq; fiducia & ap-

prehensione meritii atq; satisfactionis Christi absolvi & consummati. Atq; hæc cũ ex ipsis terminis tum ex usu Scripturæ & clarissimis dictis constant, quorũ alia de cognitione & assensu loquuntur, alia de fiducia & apprehensione quanquam hæc intellectu quoq; fiat. Prioris generis sunt ista: *Per fidem cognoscimus constructum fuisse mundum verbo Dei* Ebr. XI. 3. *Et nos credimus & novimus te esse Christum illum Filium Dei viventis* Joh. VI. 69. *Et nos cognovimus, & credimus charitatem, quam habet Deus in nobis &c.* Item ista, quæ de revelatione & misteriis passim extant, deq; objecto fidei veritate v. g. II. Thess. II. 12. *Qui non crediderunt veritati.* & I. Tim. IV. 3. πῆς πίστις καὶ ἐπίγνωσιν ἀληθείας, ubi fides aperte describitur *per agnitionem veritatis.* Posteriores sunt ista: Eph. 3. 12. *In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus.* Ubi non potest intelligi actus intellectus: nam & hunc Dæmones habent, nec tamen fiduciam illam habent. Ebr. III. 6. *fiduciam & gloriationem spei usq; ad finem firmam* retinere jubemur. Sic Joh. XVI. 33. *Confidite,* inquit Servator, *ego vici mundum.* Rom. V. 11. *per Christum accepimus reconciliationem* & v. 17. *abundantiam gratiæ & justitiæ accipere* dicimur. *Quotquot receperunt eum* Joh. I. 12. *Promissionem Spiritus accipimus per fidem* Gal. III. 14. Colos. II. 6. &c. Et hæc duo nempe lumen intellectus & ardor voluntatis conjunguntur, quando Ebr. XI. 1. fides esse definitur ὑπόστασις rerum sperandarum. De quo supra dictum est. Sed his acquiescere nolunt Sociniani, contendentes fidem obedientiam esse, qua divinis præceptis de charitate Dei & proximi obedimus, & hac fide contendunt nos coram Deo justificari & salvari. Contra eos sit ASSERTIO QUARTA: ***Fides non est obedientia, quanquam habet eam individuam & certissimam comitem atq; pedissequam.*** Præsupponentes ergo fidem veram ab obedientia & charitate atq; bonis operibus nulla ratione separari posse aut debere, &, si quis fidem jactet, qui tamen non studet obedire divinis præceptis, ejus fidem inanem & nullam esse, probamus assertionem nostram 1. clara Scripturæ litera I. Cor. XIII. ult. ubi expresse distinguuntur fides, spes, charitas. At in hac sita est obœdientia, quæ divinis mandatis, quorum summa est, *diliges Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum sicut te ipsum,* debetur. Dices: inter hæc tria non esse accuratam differentiam, eò quod spes & fides non distinguantur, charitas autem & credat & speret. Respondeo, inter charitatem & reliqua esse magnam discrepantiam, inde patet, quia charitas in æternum manebit, fides autem

& spes

& spes in futura vita non erunt. Quod autem dicitur charitas credere, sperare, id totum ad proximum referendum, de quo semper charitas sibi meliora pollicetur; sed id præsens negotium non ferit. Nunc enim agimus de fide salvifica, quæ innititur Dei promissionibus & factis quin etiam iis, quæ fiunt à Deo & quæ futura sunt: nam fides includit omnia tempora, quippe respiciens redemtionem, quæ per Christum gratia Dei facta est, & acceptationem illius gratiæ in præsenti, & quæ Deus circa credentes operaturus est, tum in hac tum in altera vita, vid. perseverantiam & vitam æternam, circa quam spes quoq; versatur. Atq; hinc patet, quænam sit inter fidem & spem differentia: multo enim latius patet fides, ac spes, adeoq; realiter differunt, quia fides ea includit, ad quæ spes non pertingit, sicut totum à partibus suis seorsim sumtis realiter differt, ut notum est. Accedat confessio ipsius Socini part 4. De Servat cap. 11. *Confidentia*, inquit, *in Deo, quæ nos coram Deo justos constituit, obedientiæ causa est: nam ideo quis obedit, quia confidit.* Hæc Socinus. Idem nos tuemur.

§. 12. Sed adhuc unam atq; alteram rationem pro stabilimento theseos orthodoxæ videam? Si in negotio justificationis opera opponuntur fidei, sequitur, quod obedientia sive opera nō possint ipsam fidem constituere, tanquam forma quædam intrinseca fidei. At prius verum. E. & posterius. Connexio Majoris patet: Forma enim dat esse, distingui, operari. At opera nec esse dant fidei, nec distingui, quippe quorum essentia à fide est distincta, ut dictum est: & vero ab operatione justificationis in totum excluduntur opera Rom. III. 28 IV. 6. Gal. II. 16. Tit. III. 3. seqq. Ergo in justificatione opera non possunt animare fidem, quippe cui soli adscribitur justificatio, quæ operibus adimitur. Dices: Opera in locis allegatis intelligi perfecta, qualia non cadunt in hominem. Respondeo, hoc esse contra hypothesin Socinianorum, de qua Assertione sequenti. Deinde glossa illa in textu non additur. Imo evertitur. Explicat enim Paulus Tit. III. de operibus quæ fiunt in justitia, hoc est, justis, quæ omnino in hominem cadunt. Distinguenda enim est justitia operum, quam nemo habet, & opera justitiæ, quæ sunt fructus justitiæ, quæ profecto regeniti habent, & habere jubentur, nimirum *sacrificia justitiæ, thoracem justitiæ &c.* Unde jubentur *operam dare justitiæ* Act. X. 35. *quærere justitiam, servare justitiam, sistere membra sua justitiæ arma Deo, vivere justitiæ* I. Pet. II. 24 *servi* esse *justitiæ* Rom. VI. 18. Deniq; hæc glossa planè

est contra scopum Disputationis Paulinæ. Neq; enim controversia erat, an homo ex perfecta impletione à Legis posset consequi salutem: hæc enim decisa erat Lev. XIX. 5. *Qui fecerit hæc, vivet in eis.* Quod ipsum ubique Christus & Apostoli præsupponunt, nec erat, qui hoc ignoraret. *Factores Legis justificabuntur*, inquit Paulus Rom. II. 13. Atqui manifesta esset pugna inter caput secundum & tertium, si, quod secundo affirmavit Paulus, videlicet factores Legis qui perfectè faciunt Legis opera justificari, id tertio negat, videlicet hominem non justificari ex perfecta impletione Legis. Dices: intelligi legem ceremonialem in locis supra citatis. Respondeo, hac de re supra dictum. Adde, Paulum de ea lege loqui, per quam justificantur & damnantur homines Rom. II. 12. 13. Sed ex lege ceremoniali nemo justificari potest. Act. XIII. 38. Ebr. IX. 9. &c. X. 1. 2. 4. Intelligit Paulus legem, quam gentes in cordibus suis naturaliter inscriptam habent Rom. II. 14. per cujus transgressionem Deum dedecorabant Judæi furtis, adulteriis vers. 21. 22. 23. &c. cujus transgressores pronunciantur maledictionis rei Gal. III. 10. & quæ tota isto verbo completur, diliges proximum tuum sicut te ipsum vers. 14. quæq; dicit: Non concupisces Rom. VII. 7. Tandem dices: fidem hic opponi præceptis legis moralis, non præceptis Evangelicis. Sed hac de re satis supra dictum Exerc. III. & demonstratum legem moralem non esse redditam auctiorē præceptis novis, à Christo additis, sicut fingunt Sociniani, qui nova præcepta vocant præcepta Evangelica. Ultimò sic arguimus: Quæcunq; sententia justificandi rationem introducit ab Evangelio alienam, est erronea & rejicienda. At sententia Socinianorum de fide, quod sit obedientia propria est talis. E. Nempe Evangelium nobis proponit rationem justificationis non per obedientiam & justitiam propriam, sed per justitiam Christi, sicut ex dictis patet. Rom. X. 3. seqq. expresse proponitur diversa justificandi ratio legis & Evangelii. *Moses*, inquit Paulus vers. 5. *describit justitiam quæ est ex lege, his verbis: Quod qui fecerit ea, vivet per illa. At de justitia Evangelica sive ea quæ per fidem est, dicit* vers. 9. 10. 11. *Si professus fueris ore tuo Dominum Jesum & credideris in corde tuo, quod Deus eum suscitavit ex mortuis, servaberis: nam corde creditur ad justitiam, fit autem ore professio ad salutem. Dicit enim Scriptura: Quisquis credit in eum, non pudefiet.* Dices: justitiam Legis & Evangelii fieri eandem, si homo justificetur per obedientiam, quam Christus vice nostra præstitit Legi morali. Respondetur, concedendo justitiam Legis & Evangelii

gelii esse eandem respectu Christi: Christus enim exactè legem implevit, nobisq; obedientiã suam imputat per fidem, atq; patefacit hanc ipsam justitiam suam in Evangelio. Quo respectu dicitur τέλος finis, scopus consummatio, complementum legis Rom. X. 4. sic accipitur τέλος Luc. XXII. 37. II. Tim. IV. 7. Interim diversa est legis & Evangelii justitia respectu nostri: Lex enim requirit obedientiam propria, Evangeliũ vero alienam.

§. 13. Pergimus ad ASSERTIONEM QUINTAM: *Obedientia renatorum in hac vita non tantum lapsibus leviculis, verum etiam peccatis sat gravibus aliquando contaminatur.* Contrarium docent Sociniani, contendentes obœdientiam renatorum tantam esse, ut nec peccent graviter, imo ne peccare quidem possint, abusi dictis I. Joh. III. 9. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, nec potest peccare. Qui facit justitiam justus est, sicut Christus justus est.* Sed primum locum ipse Socinus ità explicat: natos ex Deo non ita peccare, nec ita posse peccare ut in peccato maneant. Simplicissimus sensus est illius dicti: regenitos non studere peccato, quamdiu tales sunt manentq;. Alter autem locus non dicit nos justos esse, sicut Christus, secundum æqualitatem, sed secundum similitudinem quandam & analogiam. Alias renatos graviter & iteratis vicibus posse peccare, probatur cum dictis Scripturæ, tum exemplis. Dicta sunt aperta I. Reg. VIII. 46 I. Joh. I. 8. II. 1. Jacob. IV. 2. Conf. Psal. XIV. 3. 4. Gal. V. 16-17. &c. Sed hic pluscula excipiunt. Ad locum primum excipiunt, nihil hic aliud dici, quam non esse hominem, qui non peccet, hoc est, qui interdum per imbecillitatem aut ignorantiam non impingat. Respondeo, locum illum non loqui de infirmitatibus patet ex contextu. De talibus quippe peccatis loquitur Salomon, quibus Deus ad iram commovetur, ut iratus tradat populum suum inimicis suis, qui confitetur: peccavimus, iniquè egimus, impiè gessimus &c. Ad loca Johannis excipiunt, loqui Johannem de statu irregenitorum. Sed hoc falsum esse pariter docet contextus: scribit enim ad filiolos, ad fratres, Patres, adolescentes, puerulos vers. 7. 13. ad eos, in quibus unctio manet, ut non habeant necesse, ut ipsos quisquam doceat vers. 20. 27. Quæ ipsa Smalcii restringentis illa verba ad novitios & infirmos nondum verè conversos glossam fortiter elidunt. Ad loca Jacobi & Psaltis dicunt, loqui eos de humanis infirmitatibus & hyperbolicè. Verum nullam esse in Psalte hyperbolem, patet ex repetitione Pauli Rom. III. 10. seqq. De humanis infirmitatibus non tantum esse sermonem,

exemplo

exempla sanctissimorum mox subjicienda clarum facient. Ad locum Gal. Dicunt, non affirmari hoc loco, carnem esse in omnibus regenitis, nec semper superare Spiritum. Respondeo, carnem esse in omnibus regenitis patet ex indefinita Apostoli locutione, tum etiam ex vers. 24. ubi renati dicuntur *crucifixisse carnem cum affectibus & concupiscentiis.* Quare, in quibus sunt παθήματα καὶ ἐπιθυμίαι carnis proprietates, in illis etiam est caro. Cæterum esse in regenitis inductio exemplorum ostendit, nisi forte hic eximium quid habent Sociniani, qui se ipsi excutiant. Neq; tamen id volumus, quod semper caro superet Spiritum, sed quod aliquando id contingat. Deniq; sic ratiocinamur: Quicunq; quotidie opus habent orare, dimitte nobis debita nostra, illi omnino debita habent, nec legem ex toto sive perfectè implent, sed quædam admittunt contra & præter legem, directè & indirectè. At sanctissimi opus habent &c. E. Hic varia excipiunt. Primo, tales omnino reperiri sanctos, qui ab ineunte ætate, vel post conversionem nullo habitu peccati sint maculati, & in scriptura tales commendari tanquam perfectos v. g. Davidem, Josaphatum, Josiam, Zachariam, Hiskiam, Noam, Jobum, &c. Respondeo, quod de habitu peccandi dicitur, tergiversatio est, sufficit eos graviter peccasse, Davidem adulterio, homicidio, ambitiosa deniq; populi Israelitici recensione, Josaphatum consociando se cum impiis Regibus Achabo & successoribus, Josiam bellum non necessarium inferendo, Zachariâ non credendo: Hiskiam thesauros ostentando: Noam ebrietate: Jobum obmurmurando Deo &c. Explicanda ergo perfectio, quæ sanctis in scriptura tribuitur, comparativè & de perfectione partium non autem de perfectione graduum, quam Lex requirit. Dicunt quidem Sociniani, Sanctos in V. T. non fuisse regenitos, sed contra Ps. LI. 12. Ezech. XI. 19. Jerem. XV. 16. &c. Et, si in Vet. Test. habuerunt fidem in Christum, utiq; fuere regeniti, quam connexionem ipsi Sociniani urgent. At habuisse supra demonstravimus. Demum, fuerunt in V. T. filii Dei Gen. VI. 2. Exod. IV. 22. Deut. XIV. 2. XXXII. 19 Jerem. XXXI. 9. Esa. I. 2. XLIII. 6. Os. XI. 11. Prov. XIV. 26. & passim. Si filii Dei, utiq; ex Deo geniti sive regeniti. Sed ad propositum revertamur. Dices: Sactos pro delictis orare, quæ ante conversionem perpetraverint. Resp. reclamare exemplum Davidis qui necessum habuit etiam pro illis delictis orare, quæ conversus perpetraverat: reclamare etiam id quod dicitur de peccatis fratrum Matth. XVIII. 15. 21. 22. 28. 35. Deniq; dices Sanctos orare,

rare pro dimissione peccatorum olim commissorum; quod peccata non remittantur perfectè, nisi tum, quando ipsorum pœna mors æterna remittitur, ideoq; precationem istam prorogandam ad donationem plenam vitæ æternæ. Resp. Quanquam concedamus instandum esse Sanctis usq; ad finem vitæ precibus, inde tamen non sequitur perfectè ipsis peccata non esse remissa. Nam *justificati pacem habemus apud Deum* Rom. V. 1. *Quorumcunq; remiseritis peccata, remissa sunt eis* Joh. XX. 22.

§. 14. Jam ad exempla veniamus quæ suggerit tum Vetus tum N. Testamentum. Ex Vet. tria, Mosis, qui ægrè Deo vocanti parebat, murmurabat, petram ex diffidentia bis percutiebat: Abrahami, qui non semel uxorem abnegavit, & pene prostituit: Davidis, homicidæ, adulteri, ambitiosi. Ex Novo T. itidem tria. Petri abnegantis Dominum, Johannis fugientis, & Pauli, Rom. VII. Dices Mosis peccata non esse gravia. Resp. tam grave fuit peccatum percussio Petræ, ut propterea jussus sit non ingredi terram Canaam. Idem dicendum de Abrahami peccato, qui non tantum falsum perhibuit de Sara uxore testimonium, idq; homonymia vocis uxoris duplicavit, Deo diffisus est, ejusq; divinæ custodiæ, sed & uxorem docuit mentiri, eamq; in summum adulterii periculum conjecit &c. De Davide disputat Smalcius ejus homicidium & adulterium, pro uno peccato censeri debere, peccata autem talia committi posse ab hominibus aliàs piis, non autem iterationem peccatorum; ad quæ respondemus non posse unum peccatum reputari, adulterium contra 6. & homicidium contra 5. præceptum, inter quæ duo temporis intervallum satis magnum interceßit &c. De Petro dices nondum eum tunc fuisse verum Christi Apostolum, & non liberè peccasse; sed quasi coactè, eò quod à Christo illius abdicatio erat prædicta: unde Smalcius contra Frantzium disp. 12. asserit voluntatem Petri libertate sua tunc privatam. Resp. Sufficit quod Petrus tunc fuerit renatus, blasphemum autem est, dicere Deum injicere hominibus peccandi necessitatem, & scripturæ contrarium, testanti *Deum odisse omnes operantes iniquitatem* Psal. V. 6. Quia autem Deus semetipsum odisse nequit, ideo non potest operari iniquitatem. Ad fugam Johannis dices, non fuisse grave peccatum. Resp. omnino fuisse peccatum, Dominum & Magistrum deserere. Profluxit enim ex inveterata opinione de regno Messiæ terreno quam satis prodidit Johannes apud Matth. XX. 20. Superest exemplum Pauli Rom. VII. de quo agetur, DEO volente, Exercitatione sequenti.

§. 15. Restat ASSERTIO VI. *Homo convertendus nullas habet à natura ad sui conversionem vires.* Dico nullas: ne modiculas aut exiguas quidem. Contrarium tuetur catechesis Racovienſ. cap. X. p. 253. *vires hominis non ita prorsus exiguæ sunt, ut si vim sibi facere velit, divino auxilio accedente non possit voluntati divinæ obsecundare.* Socinus. Respons. ad object. Cutteni pag. 86. *Quilibet homo, ubi ad eam ætatem pervenerit, ut rationis usum habeat, si nulla mala institutione aut usu corruptus fuerit, posset, si plane id vellet, nullum ex iis peccatis committere, quæ cum ipsa ratione pugnant, eiq; per se omnino adversantur.* Hæc Sociniani. Nos in contrarium sic arguimus: 1. Si homo animalis ne quidem percipit eà, quæ sunt Spiritus Dei, nec potest intelligere, aut assentiri, & fidem concipere, sequitur in viribus naturalib? conversionem nõ esse. Minor est I. Cor. II. 14. ubi notandum vocem ψυχικὸς denotare hominem irregenitum, quod colligitur ex oppositio πνεῦματικὸς i. e. πνεῦμα ἔχων, Jud. 19. Spiritum regenerationis habens i. e. regenitus. Notandum 2. vocem δέχεσθαι non hic denotare auditum verbi externum (nam hic quoq; in irregenitos cadit) sed in susciptendo Spirituale promptitudinem reverentiam & πληροφορίαν Confer. Eph. II. 8. Ubi fides expresse dicitur non esse ex hominibus, sed Dei donum. Dices fidem ideo dici Dei donum, quia facultatem credendi non sumus commeriti, vel quia DEUS gratis offert Evangelium, quod est causa fidei. Resp. Non tantum facultas credendi, verum etiam ipse actus est ex Deo, & urgemus hic manifestam oppositionem. *Non ex vobis, ne quis glorietur, Dei donum est* unde manifestum est conversionem hominum non pendere ex probitate humana. Hoc enim si esset, omnino ex hominibus esset fides atq; salus & illi materiam gloriandi haberent. Cæterum quod de Evangelio causa fidei dicitur, nihil est. Sociniani enim Evangelium non agnoscunt esse effectivè fidei causam, sed tantùm objectivè. Quæ sententia pugnat cum locis illis scripturæ, quibus verbum Dei virtus ad salutem dicitur, & confertur ferro, gladio, malleo, pluviæ, semini: Hæc & similia satis aperte arguunt efficientiam Evangelii seu verbi divini. Quod tamen dum dicimus efficere fidem non sonum externùm intelligimus abstractè & præcisè, sed quatenus vehiculum est verbi divini, & Dei de nostra salute consiliorum. II. Si Deus in nobis efficit velle & operari, sequitur hominem ex suis viribus nec velle nec efficere posse. At verum prius. E. Videatur Phil. II, 12. I. Thess. V. 14. I. Thess. II, 13. Dices juberi homines

mun-

mundare se ab omni inquinamento II Cor. VII. 1. Joh. III. &c. Resp. in locis citatis non esse sermonem de irregenitis, eorumq; conversione, sed de regenitis, quos fatemur gratiâ divinâ esse instructos, cujus virtute se magis magisq; possint purificare. Sed hinc nihil concludi potest pro viribus in conversione humanis. Dices si homo nullas habet vires ad sui conversionem, frustra Deus homines jubet converti. Resp. connexio hæc nulla est, frustra juberet Deus converti homines, si nec per vires proprias, nec per vires alienas converti possemus. Nunc autem quanquam viribus propriis simus destituti, vires tamen sufficienter Deus per verbum suum offert, quibus qui non resistit, sed subjicitur, convertitur. Unum hic addendum notatu dignissimum, unde videre est quo candore in his controversiis adversarii versentur. Videntur illi quidem gratiam Spiritus S. ad conversionem hominis requirere, sed, si excutiantur verba eorum, protinus se fraus prodit. Audiatur Smalcius in refut. Thes. Frantz disp. de lib. arb pag. 417. *Si per Spiritum Sanctum intelligatur divina revelatio, quæ non semel isto nomine insignitur in literis sacris, certum est, hominem non posse sine illo spiritu justitiam Dei efficere. Nam sine revelatione homo nec perfectè voluntatem DEI scire potest, nec auxilium ad eam præstandam habere, quod utrumq; præstat revelatio, præsertim Evangelica. Si vero per Spiritum Sanctum aliud aliquid intelligitur, id totum falsum est & absurdum.* Et pag 419. *Graviter hallucinatur vel seipsum intricat Frantzius, dum ait thes. 16. hominem non renatum nihil posse in spiritualibus. Hoc enim eatenus verum est, quatenus homo non renatus de istis rebus non cogitare potest, ne dum ea facere, quamdiu à DEO non illustratur patefactione voluntatis illius. Quamprimum autem divina accedit revelatio, jam ita homo, qui antea erat non renatus, potest ista omnia facere, ut alia opera, quæ ante istam revelationem faciebat, externa.* Hæc Smalcius, qui in examinat. 157. errorum Smiglecii errore 105. pag. 30. inter errores falso numerari asserit: *Naturaliter & absq; alia gratia DEI nos posse audito Evangelio credere. Nam si hoc falsum sit, inquit, cur præcipitur iis, qui audiunt Evangelium, ut credant Evangelio?*

§. 16. III. Sic concludimus: Si Scriptura conversionem hominis describit, tanquam opus admirandum solius potentiæ divinæ, sequitur hominem ad sui conversionem nullas habere vires. Atqui verum prius E. Minor patet 1. Ex Deut. XXIX. 4. *Ubi cor intelligens & oculi videntes* adscribuntur Jehovæ, &c. Dices non hunc esse sensum quasi DEO soli

competat datio cordis intelligentis s. non non esse hic sermonem de voluntate, sed de effectu, DEUM dici non dedisse cor ad intelligendum, quia accipientem non invenerit. Resp. Etiamsi hoc concedatur, manet tamen, Judæos ex sese divina consilia intelligere, aut iis assensum præberè non potuisse. 2. Producimus locum II. Cor. III. 5. Ubi *omnis sufficientia nostra dicitur esse ex Deo.* Dices h. l. non agere de conversione hominum, sed de ministerio Ecclesiastico. Resp. Si ministri Ecclesiæ nullam habent sufficientiam, ad convertendos alios homines, qui tamen passim dicuntur in Scriptura συνεργοι i. e. operarii, multo magis verum erit, nullum hominem vel modiculum sufficientiæ & virium habere ad sui conversionem, cum Scriptura nuspiam dicat hominem in conversione sui DEO cooperari, sed contrarium potius dici, videlicet tum affirmativè, tum negativè. Affirmativè, quod *det cor novum & Spiritum novum* Ezech. II. 19 Quod *cor mundum creet in hominibus* Psal. LI. 11 quod *DEUS in cordibus nostris doceat* Johan. XVI. 13. Quod *per verbum pungat*, Actor. II. 37. Quod *mentem aperiat ad intelligendum Scripturas*, Luc. XXIV. 44 45. *Negativè nihil habet homo, quod non acceperit*, I. Cor. IV. 7. *Sine DEO nihil possumus facere*, Johan. XV. 5. Ex quibus patet voluntatem hominis non esse in conversione hominum causam efficientem; sed causam materiale s. sive subjectum, unde etiam pii orant cum Jerem. XXI. 18. *Converte me Domine, & convertar. Nemo enim potest venire ad Christum, nisi Pater traxerit illum* Johan. VI. 44. Confer Jer. XIII. 24. Matth. XII. 34. Unde etiam fit, ut homo convertendus comparetur homini mortuo Eph. II. 3. Col. II 13. ipsa autem conversio comparetur regenerationi & novæ creaturæ. Sicut autem nemo seipsum generare aut creare potest, ita etiam nemo seipsum potest regenerare. Adde Eph. I. 18. 19. I. Pet. II. 9. Ubi jubet Petrus prædicare virtutes illius, qui nos vocavit è tenebris admirandam suam lucem. Confer Joh. I. 9. Ubi dicitur Christus intellectum nostrum illustrare Jacob. I. 17. Gal. II. 20. Ex quibus patet, tum initia tum progressum vitæ Spiritualis à solo Deo esse. Dices Spiritum Sanctum nihil operari in eo, qui se non præbet obsequentem, unde sequitur voluntatem omninò adminiſtram, vel causam sine qua non conversionis esse, adeoq; voluntatem hominis concurrere ad operationem DEI. Resp. Si intelligatur concursus ratione externi auditus verbi, concursum illum admittimus, sin autem de interna hominis conversione capiatur,

piatur, negamus: quod attinet concursum in genere causæ efficientis. Nam in genere causæ materialis concedimus sine voluntate ejusq; facultatibus tanquam subjecto, nullam fieri conversionem.

Corollarium

I.

Docet Smalcius disputatione de pœnitentia thes. 44. *Si quis crebro data ad eam rem occasione peccatum committat, quantumvis id doleat & deploret, tamen habitum peccandi contrahere, huic peccatum dominari, nec ei patere aditum ad gratiam DEI & ad pœnitentiam. Nam qui post agnitam veritatem Evangelicam, & post semel exutum peccatorum habitum, iterum eundem contrahit, impossibile est, talem rursus renovari ad pœnitentiam.* Verum, etsi fatemur, si quis crebrò peccatum committat, & peccandi habitum contrahat, ei peccatum dominari, & eum irregenitum fieri. Negamus tamen huic non patere aditum ad misericordiam DEI, & ad pœnitentiam per loca manifesta Ezech. XVIII. 23. Quem locum quidem Smalcius dicit esse singularem, nec ad omnes pertinere, sed non probat. Nos probamus Matt. XVIII. 22. Ubi de Petro renato est sermo, qui si sibi velit multoties remitti peccata, aliis etiam toties remittere jubetur. Adde I. Joh. II. 1. Quod autem nobis opponunt Hebr. VI. 4. seqq. cap. X. 26. Notandum est ibi non agi de habitu peccandi, sed de actu, de lapsu nimirum singulari, qualis est eorum, qui peccant in Spiritum S.

II.

Verba Socini de officio hominis Christiani cap. I. sunt: *Quanquam homini Christiano omnis vitiosus actus repugnans Christi præceptis summo studio & diligentia perpetuo est cavendus ac vitandus: tamen non quilibet ejusmodi actus,*

sed habitus vitiosus, vitiosaq. consuetudo, quæ Evangelicæ fidei doctrinæ adversatur hominem à cœlorum regno excludit, Assonat Smalcius refutat. lib. de satisfact. Christi cap. VIII. p. 239. *Quod Paulus dicit, quod Adulteri, homicidæ non sint consecuturi regnum DEI, id tantum de iis intelligendum esse res ipsa loquitur, qui in peccatorum istorum, sive unius sive multorum habitu hærent, vel ut Paulus loquitur, qui talia faciunt. Facere autem is peccatum dicitur, qui peccati habet consuetudinem.* Hinc est quod peccata Gal. V. 19 seqq. recensita, omnia habeant pro peccatis ad mortem pro quibus non sit orandum 1. Joh. V. 16. 17. Sed locis Gal. V. 19. seqq. I. Cor. VI. 9. Eph. V. 5. seqq. adhibentur verba non habitum sed actum significantia. Et omnino pro iis etiam, qui in hæresi, invidiâ & aliis operibus carnis vivunt, est orandum, ut convertantur.

III.

Docent Sociniani homines qui à magistratu morte afficiuntur, servari non posse, adeoq; Magistratum contra charitatem agere, cum eos plectit. Verum non semper qui extremo supplicio afficitur v. g. homicida &c. habitum peccandi contraxit. Et cum dicant homicidium esse peccatum ad mortem, quod committens in gratiam non recipiatur, non debebant dicere magistratum hos homines plectentem, contra charitatem agere, dum eos plectit in peccatis suis morientes, qui & aliàs, etiamsi in vita relinquerentur in gratiam non essent recipiendi. Dices dari gratiæ momentum aliquod extraordinarium. Resp. credibile est, hoc facilius concedi illis qui pœnam sustinent flagitiis dignam, quam qui nullam.

IV.

Irregenitorum opera non esse Theologicè & spiritua-

ritualiter bona qui negat, simul negat *omnem arborem malam fructus malos proferre, & sensum carnis esse inimicitiam adversum Deum, eò quod non possit subjici legi Dei* quorum alterum Servator Matt. VII. 17. alterum Apostolus Rom. VIII. 7. affirmat.

V.

Quando quæritur de operibus renatorum, an perfecta sint & sine defectu, an vero cum defectu eoq; peccaminoso sint conjuncta, distinguit Smalcius Disp. VI. cont. Frantz th. 22. dicitq; *longe differre ista, deesse aliquid bono operi, & peccare in omni opere bono*, prius concedit respectu renatorum, at non posterius. Sed malè. Omnis enim defectus in operibus lege præceptis est contra legem & ἀνομία, Omnis ἀνομία est peccatum I. Johan. III. 4. Unde consequitur justum in omni opere bono quodammodo peccare. Huc spectant querelæ sanctorum, Esa. LXIV. 6. *universæ justitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatæ* Eccles. VII. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum & non peccet*, Psal. CXLIII. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, &c.*

REctam instas, EILBRACHTE, viam, spes magna Parentum.
DET DEUS, optatam liceat contingere metam!

Ad Testand. benevol. Perex. Dn. Respond. fecit

Casparus Mauritius, S.S. Theol. D. ejusd. P.P.
& Ecclesiast. Academ. p.t. Rector.

Ad Præstantiss. Dn. Respondentem.

JUstitiam fidei *calamo verbisquè tueri*
Laus est; Red major, susceptam corde tueri.
Qui nobis peperit, nobis tueatur Eandem!

Cum gratulat. scribebat

Hermannus Schuckman, Theol. D. & Prof.

IMpiger, EILBRECHTI, studiorum pensa fatigas:
Nec labi optatum tempus inane sinis;
Fervidus incumbis studio SOPHICOquè SACROquè,
Hujus nunc specimen non sine laude probas
Publicâ ab Orchestra: sic perge, ac sedulus imple,
Conceptamq; TUIS spem PATRIÆquè tuæ.

Perex: atq; Præstant. Dn. Respond. Benevoli
affectus declaran. ergò deproperabat

Daniel Michaël. S S. Theol. D. ejusdemq; P.P.

Ad Literatissimum Dn. Respondentem.

MUnera *quæ divus Servator contulit orbi,*
EILBRACHTE *expendes & vaframenta* PHOTINI
Explodes: pulchrè cœpisti currere, perge
Moribus & doctrina *accrescens tramite recto.*
Et DEUS *&* patriæ PATRES *sua munera proment.*

Johannes Corfinius, S.S. Theol. Licent.
ad D. Mar. Past. & P.P. Facul. Phil. p.t. Decan.

(o)

EXERCITATIONUM ANTISOCINIANARUM
SEXTA
DE
PECCATO ORIGINIS ET SACRAMENTIS.

Quam
DEO MODERATORE
PRÆSIDE
DN. CASPARO MAURITIO,
S. S. Theol. Doctore, ejusdemq; Professore Publico & Eccles. Academiæ Rectore,
Publico examini submittit
BALTHASAR JAWERT,
Lubecensis.
Habebitur in Auditorio Majori
ad d. XVI. April.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, *Acad. Typogr.*
ANNO M. DC. LI.

Z1
1651

§. I.

EX iis, quæ sub finem Exercitationis præcedentis dicta sunt de hominis ἀδυναμία in spirituali vero agnoscendo & bono amplectendo, manifesta est humanæ mentis & voluntatis corruptio. In cujus originem nunc est inquirendum, quam deberi prævaricationi & inobedientiæ primorum Parentum, qui vitio suo peccatum originis, carentiam imaginis divinæ, quæ consistebat in agnitione DEI, justitia & sanctitate, deniq; mortem sibi & posteritati toti attraxerunt, persuasissimi sumus, apertè id demonstrantibus plurimis Sacræ Scripturæ locis, de quibus postea cum cura agemus. At Sociniani hic in alia omnia abeunt. Ostorod. Instit. cap. XXXV. *Etsi non largimur, quod propter primi hominis peccatum humana natura sit corrupta, tamen libenter concedimus, quod fermè in omnibus hominibus valde magna concupiscentia & inclinatio sit ad peccandum, non quidem propter illud peccatum, sed ideo quod homines seipsos per sua propria peccata & malitiam corruperunt & vitiarunt, quam corruptionem ipsi postea in liberos suos per vim seminis hæreditario propagant.* Smal. refut. lib. de vero & nat. DEI Fil. cap. VII. pag. 60. *Angelos* (DEUS) *cum donis naturalibus, utpote in natura sibi quodammodo similes creavit. Homines vero absq; illis donis, utpote in natura sibi prorsus dissimiles, & similes non futuros priusquam suam fidem Deo probarent. Quod ad locum Eccles. 7. quis non videt, quantum differant rectum esse conditum cum sanctitate & donis supernaturalibus: nam & is rectus esse dici potest; qui simplex est & expers omnis mali.* Socin. cont. Pucc. cap. II. pag. 89. *Omnino propter imperium, non etiam propter mentem vel rationem, aut aliquid simile illi à DEO concessum, homo ad DEI imaginem & similitudinem creatus est.* Idem pag. 16. *Per peccatum, inquit Paulus, mors in mundum intravit, id est, moriendi necessitas sive mors æterna, non autem mortalis conditio, sive ipsa mors naturalis.* Idem prælect. Theol. cap. IV. pag. 13. *Nec aliud malum ex primo illo delicto ad posteros omnes necessario manavit, quam moriendi omnimoda necessitas, non quidem ex ipsius delicti vi, sed quia cum jam homo natura mortalis esset, ob de-*

lictum illud ſuum naturali mortalitati relictus eſt, quodq́ naturale erat, id in delinquentis pœnam prorſus neceſſarium eſt factum. Hæc eſt Socinianorum de peccato originis ejusq́; conſequentibus ſententia, qua ſtante ſtare Sacramenta, imprimis Baptiſmus nequit, ſicut patet & dictum eſt Exerc. I. §. 6 Nunc, quid de Sacramentis adverſarii ſentiant, breviter exponemus. Sommerus in tract. de baptiſm. negat *baptiſmum eſſe verum & divinitus inſtitutum mandatumq́, Sacramentum & nos ſimiles eſſe* dicit *Iſraelitis, qui ex ſerpente idolum fecerunt, adeoq́ ritum baptiſmi ad noſtra tempora nihilo minus pertinere, nec ſaniori à nobis imitatione uſurpari, quam ſi quis arcam Noæ, jugum Jeremiæ &c. ſine certo DEI juſſu & mandato velit imitari.* Socin. cap. 15 de baptiſm. pag. 118. poſtquam negaſſet, *Apoſtolos perpetuum baptiſmi uſum Eccleſiæ commendaſſe atq́ præcepiſſe,* addit: *etiamſi uſus ille perpetuus fuerit probatus ab Apoſtolis: nequaquam tamen illum tanquam humano inſtituto innixum, pro lege immutabili habere poſſe.* Smalc. contr. Franz. de baptiſm. pag. 311. *Aquam baptiſmi eſſe organum ſive inſtrumentum Spir. S. quo in ipſo actu baptiſmi regenerationem operatur, non tantum falſum, ſed aliquid idololatricum omnino cenſendum eſt.* Idem diſp. X. de baptiſm. 8 omnibus modis contendit, *nos nullum nec mandatum nec exemplum pædobaptiſmi ex ſcripturis afferre poſſe.* Socin. de Offic. hom. Chriſt. cap. IV. diſputat contra Evangelicos, docentes, *ſacramentis Baptiſmi & Cœnæ Dominicæ obſignari divinitus remiſſionem peccatorum & confirmari.* Et de Sacramento Cœnæ in ſpecie ſic cenſet Smal. diſp. 2. *Referimus vocem Hoc non ad panem, ſed ad actionem frangendi & comedendi panem, ut ſenſus ſit, Hoc, non panis, ſed hæc actio frangendi & comedendi panem eſt corpus, id eſt, commemoratio Chriſti corporis pro nobis fracti.* Socin. in lib. Quod regni Polon &c. *Eo ſpectant* (verba inſtitutionis) *ut declarent, quid mox futurum erat, nempe ipſius Chriſti corpus fractum, id eſt, violenter percuſſum ac tranſverberatum & ſanguinem fuſum iri, ut frangebatur tunc panis ille & infundebatur vinum, cujus fracti ſui corporis & fuſi ſanguinis & conſequenter ſui ipſius cum iſta pro ſalute noſtra æterna ſint facta, fieri Chriſtus perpetuo voluit in Eccleſia ſua per hanc ipſam panis fracti & vini infuſi actionem, quæ illa adumbrat, ſolennem commemorationem.* Et hinc eſt, quod Smal. diſp. XII. de Cœna theſ. 54. dicat: *ſtat igitur firmum, fractionem panis neceſſario in legitima cœnæ dominicæ celebratione requiri.* Hæc eſt de peccato originis & Sacramentis Eccleſiæ ſententia Socinianorum, quibus Aſſertiones & Concluſiones noſtras ordine opponemus,

§. 2. CON-

§. 2. CONCLUSIO PRIMA: *Propter primi hominis peccatum natura humana h. e. intellectus & voluntas humana ita est corrupta, ut intellectus bonum spirituale intelligere & voluntas illud appetere nulla ratione queat, sed ignorantia & pravitas à primis parentibus in omnes posteros sint propagata.* Probatur 1. Ex propria hujus articuli sede Rom. V. 12 ubi dicitur, quod per unum hominem peccatum in mundum introijt, & ad omnes homines transijt, quod per inobædientiam unius hominis peccatores sint constituti multi; imò quod omnes in Adamo peccaverint, & quod reatus ex una transgressione venit ad condemnationem in omnes homines. Excipiunt τὸ ἐφ' ᾧ non significare in quo sed quatenus, &c. sive τὸ ἐφ' ᾧ vertatur quatenus vel quia sive vertatur in quo, res eodem recidit. Si in quo, sicut τὸ ἐπὶ sæpe accipitur pro ἐν ᾧ Marc. II. 4 Hebr. IX. 17. sensus manifestus est: in Adamo, tanquam humani generis stirpe, peccasse cæteros homines omnes; nisi enim hoc dicatur, ratio cohæsionis in Apostolo nulla est. Secundum hanc autem sententiam optima est ratio, quæ, cur ab uno homine peccatum & mors in omnes homines pervaserit, affertur. Quod si autem reddatur quatenus vel quia, manifesta est ellipsis, quia omnes peccaverunt, videlicet in uno illo homine, quæ ellipsis clara est tùm ex illo quod præcedit, per unum hominem peccatum &c. tùm eò quod sequitur per inobædientiam unius peccatores sunt constituti multi, tùm & ex Apostoli ratione, omnes etiam infantes morti sunt obnoxij: Ergo omnes peccaverunt. Neq; dici potest, cum Paulus dicit, constitutos esse peccatores, id velle, necessariæ & perpetuæ morti esse factos obnoxios. Distinctè enim Apostolus de causa loquitur peccato & de effectu morte v. 19. & 21. sicut & in antitheſi distinguuntur justitia Christi & præmium inde promanans vita æterna. Præterea literæ inhæremus, quæ clamat aliud esse peccatorem esse constitutum, aliud factum esse obnoxium æternæ & perpetuæ morti. Dices, pœnam peccati Adamitici sine reatu in posteros transire, vel ut loquitur Socinus de Servatore pag. 291 *tametsi omnes ab Adamo prognati morti perpetuæ sint obnoxij, id non ideò fit, quod ipsis delictum Adami imputatur, sed quia ab ipso progeniti sunt, qui morti perpetuæ divino decreto fuit addictus, & ita non propter peccati imputationem, sed propter generis propagationem id illis contigit.* &c. Hoc quod dicitur propter generis propagationem morti

nos fieri obnoxios, vel præcisè intelligendum, vel quatenus generis illa propagatio est conjuncta cum propagatione corruptionis. Si præcisè intelligatur falsum. Nam si Adam non peccasset, etiam propagatum fuisset humanum genus, nec tamen obnoxij fuissent perpetuæ morti. Si autem intelligatur hæc propagatio posteriori modo, sicut corruptionem istam ipse Socinus in verbis supra allegatis non obscurè videtur agnoscere, id dicitur, quod res est, propter propagationem corruptionis, quæ instar lepræ, phtisis & similium morborum à parentibus in progeniem per traducem derivatur, hominem nasci obnoxium morti. Quæ propagatio non est propagatio actualis malitiæ tantum, sicut Sociniani volunt. Sœpe enim ex unis eisdemq; parentibus nascuntur planè dissimiles liberi: sœpe optimi parentes pessimos progenerant, etiamsi accuratam adhibeant educationem. Quod est originariæ labis indicium clarissimum.

§. 3. Præterea adducimus ex V. Testamento loca plurima originariam illam corruptionem demonstrantia inprimis Genes. VI. 5. ubi notanter dicitur, *omne figmentum ac cogitationes cordis humani tantummodo malum esse omni tempore ab ipsa quoq; pueritia*, ut est Gen. VIII. 21. item Jobi XIX. 5. *quis dabit mundum ex immundo? ne unus quidem*; item Psalmo LI. 7. ubi David queritur *se in iniqnitate formatum, & in peccato fotum à matre* &c. Ad quæ loca variè excipiunt adversarij. Ad primum dicunt ibi non esse sermonem de originali peccato, sed de pronitate ad peccandum, quæ ipsa pronitas non sit peccatum. R. 1. pronitatem ad peccandum esse aut malum quid aut bonum; Non hoc. Ergo illud. Si malum, vel pœnæ vel culpæ. Non illud. Ergo hoc. Adde quod illa pronitas ad peccandum displiceat Deo & pœnam mereatur: unde consequitur, eam peccatum esse. Estquè universalis omnis cordis, omnium hominum, omnium ætatum, (neq; enim ullum exemplum dissimile dari potest, etiamsi educatio præcedat accuratissima) corruptio, causa & fons omnium peccatorum actualium. Nempe effectus certissimum est causæ indicium. Actualis omnium hominum, etiam puerulorum malitia causam habeat adæquatum & universalem oportet, quæ non potest esse alia, quam peccatum originis, quod habemus non à Deo, sed à parentibus & Protoplastis. II. Excipiunt, hic non posse esse sermonem de naturali corruptione, sed de voluntaria. 1. quia naturalis corruptio inevitabilis est, & talis, propter quam Deus non posset universum mundum punire,

2. quia

2. quia sic causa allegaretur non amplius immittendi diluvij eadem, quæ antea fuerat causa immittendi, quod est absonum. R. ad 1. Deum non tantum hic loqui de malitia actuali, s. de corruptione voluntaria, inde patet, quia non tantum, qui voluntariè peccaverunt divinitus immissô diluviô obruebantur; verum etiam exstinguebantur infantes, non profectò aliam ob causam, nisi quod in illis æquè esset adæquata illa & universalis causa voluntariæ corruptionis. Deinde dicimus homini quidem naturalem esse malitiam, neq; tamen inde sequitur illam esse in omnibus gradibus suis inevitabilem: poterant quippe antidiluviani & virtute Spiritus & reliquiis divinæ imaginis in tantum repressisse & cohibuisse originariam malitiam, ne in apertissima maximaq; scelera erumperet. Ad 2. R. confundi diversa tempora Dei nimirum offensi & sacrificio Noachi placati. Neq; absurdum est eandem rem & causam esse per se temporariæ pœnæ & gratiæ temporariæ causam esse per accidens. Nimirum peccatum per se est causa pœnæ tum temporariæ, tum æternæ apud Deum nondum placatum, per accidens autem apud Deum placatum potest esse causa & misericordiæ & gratiæ temporariæ, sed cum reservatione pœnæ æternæ, quæ spreta divinâ longanimitate & misericordiâ tantò fit auctior Rom. 11. 2. seqq. Sensus esset: si quoties homines impij sunt, toties diluvium esset immittendum, sequitur omnibus seculis immitti illud oportere, quia totus homo in malitia est positus ab ineunte ætate. Neq; prætereundum hic est, quod à viris doctis observatum & idoneis probandi mediis demonstratum, causalem conjunctionem כי sæpe pro adversativa quamvis usurpari. Sic sensus esset, non maledicam amplius terræ propter hominem etsi figmentum cordis humani sit malum à pueritia ipsius h. e. quamvis ob peccatum possim id facere, misericordiâ tamen motus, non faciam. vid. Glass. Gram. Sacr. lib. 3. tract. 3. can. 13.

§. 4. Ad locum Jobi XIV. 5. ut & alia ejusdem libri IV. 7. XXV. 4. dicunt, loqui ea de tali imputatione, quæ etiam in Angelis reperiatur, & 2. loqui de homine non absolutè, sed quatenus comparatur cum DEO, cujus respectu sit vilis, quippe formatus ex limo terræ. 3 Multas sententias allatas non esse Jobi, sed amicorum ejus, qui malam causam tueantur. R. ad 1. Non esse necessarium de Angelis explicare, cum intelligi queant Legati Dei, puta homines, Prophetæ &c. si autem de Angelis intelligatur, sensus est, tales esse angelos suâ naturâ, ut etiam stulti quid admittere

mittere & facere possint cap. IV. 18. quod etiam testatur Angelorum plurimorum lapsus. Ad 2. dico Jobi caput XIV. 4. loqui de homine absolutè; quis dabit mundum de immundo? Nemo. Ubi nota neminem posse dare mundum, adeoq; omnes esse immundos, & verba illa Ex immundo, apertè propagationem significare, fieri non posse, ut qui ex immundo nascitur ipse sit mundus. Et hoc quoq; argumentum est amicorum Jobi. Omnis homo natus de muliere est impurus, Tu Job es homo. E. Ad 3. Negatur sententios amicorum Jobi generaliter & in se spectatas vitiosas aut falsas esse. Malam autem causam tuebantur, non propter sententias illas, sed propter sententiarum illarum ad personam Jobi, quem pro scelerato reputabant, perversam applicationem. Progredimur ad Psalm. LI: 5. ubi non potest intelligi peccatum Parentum: continet enim hic Psalmus Davidis confessionem, utiq; propriorum non alienorum peccatorum; petit mundari, utiq; à suis, non alienis peccatis. Nec peccarunt Parentes Davidis vel in nativitate Davidis vel in ejus conceptione, nam in legitimo matrimonio conceptus & natus est &c. Excipiunt Adversarij plurima. I. Esse loquendi formam figuratam ut Psal. LVIII. 1 Esa. XLVIII. 8. Joh. IX. 39. II. dicunt loqui Davidem non de una, sed de multis iniquitatibus. III. Hæc potius dici ad excusanda peccata, quasi dicat David peccare hominibus velut innatum esse. IV. Davidem non de omnibus hominibus loqui, sed de se tantum, & quanquam fortè in multis talis ad peccandum pronitas sit, non tamen esse in omnibus nec propriè esse peccatum. &. ad 1. ad figuras sine necessitate non licet confugor. Quod attinet loco citata, dicimus committi petit. principii. Ad II. in Hebræo non multarum, sed unius iniquitatis (in numero singulari) fit mentio, in qua ipse David sit natus, formatus, & velut calefactus, quod non potest nisi de actualium peccatorum fonte, peccato nimirum originis intelligi. Ad III. dicimus, nequaquam verisimile esse voluisse Davidem in confessione coram Deo κατηγορίαν figuris, hyperbolis, excusationibus uti more hypocritarum. Ad IV. Quod de Davide hic dicitur, de omnibus & singulis hominibus omninò esse intelligendum, quatenus omnes & singuli ad eundem modum, quo David, nascuntur. Porro pronitatem illam ad peccandum, quam vocamus concupiscentiam malam, in omnibus hominibus esse expresè testatur Jacob. I. 15. unusquisq; testatur à propria concupiscentia. Hanc autem concupiscentiam malam, sive pronitatem ad peccandum esse peccatum, patet ex eo, quod lege probibitum sit, Non concupisces,

§. 5. De

§. 5. Denique ex Novo Testamento producimus & urgemus loca tria Johan. III. 6. (confer Rom. VIII. 6.) Ephes. II, 3. Rom. caput septimum. In loco Johannis dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest introire in regnum cœlorum.* Ratio est: quia quicquid genitum est ex carne caro est. Hic caro non potest sumi propriè: Sic enim nulla esset ratio connexionis: nemo enim propterea excluditur à regno cælorum, quia est carneus. Etsi vero carnis impropriè sic dictæ variæ possint esse significationes, hic tamen, non alia esse potest, quam significatio corruptionis peccati, à quo per regenerationem homo purgatur. Idem indicat oppositio Spiritus. Quicquid genitum est ex Spiritu Spiritus est, h. e. homo est spiritualis sive spiritus gratiâ regenitus. Diligenter autem notandum, nativitatem significare propagationem peccati. Nam id quod generatur à carne, ita caro est, ut non sit aliunde, puta ab imitatione caro, sed inde, quia generatur à carne. Manet ergo universalis propositio, Omnes Adami nepotes, ne infantibus quidem exceptis, geniti sunt ex carne, videlicet ex Adamo corrupto, & sunt caro, h. e. sunt peccato infecti. Hinc dicimur per Adamum esse constituti peccatores. Rom. V. 19 de quo loco antea dictum. Porro in loco ad Ephes. II, 3. notamus, Paulum loqui de omnibus hominibus, quod indicant verba, *nos sicut etiam alij*, quos omnes dicit Paulus *esse filios iræ*, hoc est, dignos irâ vel pœnâ divinâ, utiq; propter peccatum, quod solum Deum ad iram provocat, sicut idem evincit contextus, omnes homines reos agens peccati non tantum voluntarij, verum etiam originarij, h. e. talis quod φύσει naturaliter adeoq; ab ipsa nativitate nobis ineat, infantibus pariter & adultis. Dices naturâ hic idem esse ac omnino, verè, reipsa, sicut ad Gal. IV. 8. Naturâ Dij dicuntur i. e. verè Dij: non natura Dij. i. e. non verè Dij. Resp. φύσει θεοὶ sunt essentia Dij & naturâ, adeoq; culpantur Galatæ, quod servierint idolis, quæ non sunt essentiâ & naturâ Deus, quando autem homines dicuntur natura filij iræ, tunc essentia quidem & natura præcisè intelligi non potest, sed quatenus est peccato corrupta & contaminata.

§ 6. Supereſt caput VII. ad Romanos in quo expressa vestigia apparent hujus corruptionis, etiam in renatis. Quod ipsum caput quia mirè detorquent Socinians, ut evincant, Paulum ibi agere de se non ut regenito, sed ut irregenito idcirco paulo diligentius tota res examinanda erit. Nos Paulum de se, ut regenito loqui probamus. I. Urgemus voces,

Ego, me, mihi, in me. &c. quæ voces ad minimum tricies occurrunt. Si ergò Paulus semper suam regeniti personam interponit, sequitur Paulum de se hic agere ut regenitum, aut monstrent adversarij illum in scriptura locum faventem tali μεταχηματισμῷ, qualem fingunt adversarij, dicentes Paulum hic quidem præsenti tempore uti, sed præteritum intelligere. II. Talia sunt subjecta, qualia permittuntur à prædicatis, si ergò prædicata in hoc capite talia sunt, ut non cadant in iregenitos, sequitur iregenitos hic intelligi non posse, adeoq; Paulum hic de se ut irregenito minimè loqui. Sed prius. E. Minor sic probatur. 1. Prædicatum *approbare bonum*, intellige Spirituale, de hoc enim est quæstio v. 14 &c. 2. Prædicatum est *consentire legi Dei, & illa delectari.* 3. Est quòd *non perpetrent malum, quod faciant, sed peccatum quod in ipsis est*, ac si videas hominem vehementi paroxismo laborantem, sibiq; & alijs vim intentantem, recte de tali homine dixeris, hominem id non facere, sed vim morbi. 4 Est in illis verbis, *velle adest mihi*, nimirum ratione boni spiritualis. 5. Est *habere interiorem hominem.* 6. Proprietas est *sentire luctam carnis & Spiritus.* 7. *Agnoscere miseriam, petere liberationem, & gratias agere pro liberatione.* 8. *Mente servire legi Dei.* Hæc omnia prædicata ita sunt comparata, ut planè non quadrent in irregenitos. Irregeniti enim nec bonum spirituale intelligunt, nec volunt. Non irregenitorum, sed regenitorum est delectari verbo Dei Psalm. II. 2. Non irregeniti, sed regeniti habent interiorem hominem & Spiritum, qui carnis actiones mortificat. Rom. VIII. 13. Non irregeniti, sed regeniti agnoscunt suam miseriam, petunt liberationem & gratias pro ea agunt, & mente serviunt legi Dei. Multa sunt quæ hic objciunt adversarij: nos potiora videamus. I. Dicunt Paulum hic de tali homine loqui, qui aliquando vixerit sine lege. Hæc autem verba non posse intelligi de Paulo, quia Paulus sub lege natus erat. Resp. esse ambiguitatem in phrasi, esse sub lege, & esse sine lege. Sine lege enim vel potest intelligi de legis litera vel sensu. Paulus cum dicit se fuisse sine lege, non de litera legis loquitur, sed de sensu quia videlicet legis vim & occasionem ante conversionem ignoraverat & quia vim legis, quam debere habebat commovendi conscientiam, eam pravâ consuetudine perdiderat. Hæc ergò est sententia Pauli, antequam intelligeret vim legis divinæ, se vixisse, i.e. æstimasse se vita dignũ, postquam autem vim spiritualem agnovit, sensisse se mortem. II. Paulum se hic nominare carnalem, qui titulus non conveniat nisi irregenitis v. 14. Resp. scripturam distinguere

guere hæc duo, esse in carne, & esse carnalem; esse in carne idem est, ac non esse renatum, vel vivere secundum carnem. Rom. VIII. 8. 9. At etiam regeniti dicuntur carnales in scriptura: tales qui habent carnem, qui sentiunt stimulos peccati, attamen ei non plenè obtemperant, sed reluctantur, atq; sic I. Cor. III. 1. infantes in Christo (qui omnino sunt regeniti I. Pet. II. 3. 9.) Carnales dicuntur. Et carnem habent omnes regeniti, tribuiturq; ipsis Apostolis à Christo. Matth. XXVI. 41. Distinguere licet inter carnales ex toto, & carnales ex parte: posterius etiam regenitis tribui potest; non autem prius. Cæterum dicuntur regeniti carnales, tum ob carnalem conceptionem Psalm. LI. & carnalem nativitatem Joh. III. atq; carnales reliquias & molestias. Gal. V. 26. 24. tum maximè in oppositione futuræ spiritualitatis in vita æterna. III. Dici v. 15. perpetrare, quod non agnoscit & malum facere, quod non vult. Resp. κατεργάζομαι non semper significare affectum consentiendi, & opere ipso implendi, sed ipsum nutum concupiscendi, ut explicat Augustinus lib. 1. contra Pelagianos Ep. c. X. Deinde renati etiam sæpe malum faciunt, quod oderunt, & quod aliis nollent sicut exempla docent. Dices contra datas responsiones concupiscentiam illam involuntariam in primis consistentem motibus non esse malum nec esse peccatum. Resp. omnino esse peccatum & præcepto IX. & X. prohibitum. Dices ibi prohiberi concupiscentiam illam externam, quæ in nostra est potestate. Resp. Hanc esse peccatum omnibus constat, at illam de qua lex loquitur, Paulus fatetur ignorasse se, esse peccatum, nisi lex dixisset: Non concupisces. IV. v. 23. Venundatus sub peccato, & captivus legi peccati, vid. v. 14. Resp. Quanquam hic dicatur venundatus sub peccato, & subjectus peccato, tamen non intelligitur tale mancipium, quod Tyranno sponte obsequitur (hoc enim esset nondum renati) sed tale, quod quidem Tyranno dominium affectanti repugnet, interim mala desideria, & perversos carnis motus effugere nulla ratione possit. Et hoc sensu deplorat Apostolus suam conditionem, ut dicat v. 24 miser homo, quis me eripiet è corpore hoc mortis, i. e. ab illa ingenti mole peccati in me residua, sicut capitur corpus peccati Rom. VI. 6. Conferunt quidem Photiniani locum Parallelum 1. Reg. XXI. 20. ubi eadem fermè phrasis adhibetur de Achabo, qui extra controversiam erat peccati mancipium & irregenitus, sed differentia est in phrasibus. Nam ibi est Hithpael & activa significatio te ipsum vendidisti, hic passiva significatio neutraliter explicanda sicut fit Rom. I. 21. cap.

IX. 22. Exod. XV. 16. &c. Porro cum dicitur regenitus captivatus legi peccati, non innuitur peccati victoria, sed repugnantia inevitabilis, & bellum illud infestum, quod quantisper vivimus, cum carne semper inire necessum habemus. Interim quia pugna adhuc durat, nondum victoria secuta est. Non ergò hæc verba de effectu, sed conatu sunt explicanda, ut fit in simili phrasi. II. Cor. X. 5. *captivam ducimus cogitationem omnem efferentem sese*. / conamur captivare, & notum est verba activa sæpe conatum denotare tantum, ut Actorum VII. 26. *redegit eos in concordiam*. / conatus est redigere Gen. XXXVII. 21. Deut. XXVI. 5. I. Cor. X. 33. vid. Glassij Gramm. Sacr. lib. III. tract. III. cap 8. Summa, quod de Romanis dicimus, potuisse eos quidem vinci prælio (v. g ad Cannas, ad Trebiam, ad Thrasymenum lacum) sed non bello (v. g. Punico II.) id etiam valet de renatis, vincuntur enim sæpe aliquo peccato & lapsu, sed per Dei gratiam protinus sese colligunt & vindicant in libertatem. Sic sæpe Philistæi vicerunt Israëlitas, sed non oppresserunt. Vid Arnd. de vero Christianismo part. I pag. 102. Edit. Goslar. A. 620.

§. 7. CONCLUSIO SECUNDA: *Imago Dei ad quam homo primus creatus est potissimum consistit in agnitione DEI justitia & sanctitate omnium virium.* Dico potissimum, nam & immortalitas huc pertinet, de qua dicendum assertione sequenti, & dominium in omnia animantia & universam terram, in quo Socinianis solo imaginem Dei constitisse, modis maximis contendunt, quos antequam adoriamur, præ notamus imaginem alicujus rei id dici, quod ad eam est expressum, & cum ea similitudinem obtinet, vel in essentia individua, quomodo filius Dei imago Patris dicitur, in quo & per quem homo imaginem suam & universam perfectionem accepit, vel in essentia specifica, quomodo in humanis filius imaginem patris gerere dicitur, vel in proprio vel deniq; in gradu aliquo accidentalis excellentiæ, quo ad eam accedit propius. Quanquam verò dici possit, Protoplastos imaginem Dei gessisse etiam ratione essentialium animæ rationalis facultatum, sicut Veteres multi sunt locuti, distinguentes imaginem & similitudinem Dei, atq; docentes imaginem Dei spectari in mente, voluntate, memoria; similitudinem vero in qualitatibus animæ, quod videlicet intellectus erat illuminatus fide, memoria confirmata spe, voluntas imbuta charitate (quæ tamen distinctio non stat firmo talo; permutantur enim hæ voces Genes. I. 26. 27. Adde quod Gen. V. 1. dicitur Adam genuisse filium

filium ad imaginem & similitudinem suam,& Paulus justitiam, sanctitatem,sapientiam, appellare imaginem Dei ad Ephes. IV. 24. &c.) tamen in agnitione justitia & sanctitate potissimum consistere imaginem divinam, probamus I. Quia imaginem divinam amisimus, neq; tamen essentialia, vel etiam dominium in animantia amisimus. Amisisse autem nos imaginem Dei, tum inde patet, quia Adam corruptus genuit filios ad imaginem & similitudinem suam, unde 1. Cor. XV. 22. dicitur: sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificantur & vers. 49. imago terreni expresse opponitur imagini cælesti, tùm inde quia jubemur renovatione recuperare imaginem Dei ad Eph. IV. 24 ad Col III. 10. *Induite novum hominem, qui secundum Deum conditus est ad justitiam & sanctitatem veram, renovamini spiritu mentis vestræ* &c. Dices hic non de prima creatione sed de secunda esse sermonem. Resp. inhærere nos literæ & expressè Paulus distinguit hominem creatum κτ θεὸν κτισθέντα, ab homine in renovatione creando, quam vocat ἀνακτισθέντα; Non ergo sunt confundenda creatus & renovatus, nisi velimus in verbis Pauli ineptam quandam παυτολογίαν collocare, hoc sensu, renovamini & induite novum hominem renovatum; si enim renovatus jam est, quorsum renovabitur. Demum dices nec amissionis hujus imaginis in Genesi ullam exstare mentionem, & contrarium potius dici Gen. IX. 6. ubi etiam post lapsum homo dicitur esse conditus ad imaginem Dei, quod in Novo quoq; Testamento repetitur Jacobi III. 9. Resp. ad 1. Omnino fieri mentionem amissæ imaginis divinæ Gen. III. 7. ubi de apertione oculorum & nuditate pudibunda loquitur scriptura. i. e. irritamentis malæ concupiscentiæ lapsum hunc secutis, item vers. 8. ubi describitur Protoplastorum desperatio, & diffidentia quæ post lapsum successerant sanctitati, & timori Dei, atq; fiduciæ, item vers. 12. ubi effugia Adami proponuntur, quibus declinare sed frustra conatur crimen intentatum. Alterum quod attinet, distinctissima sunt: hominem creatum esse ad imaginem Dei, quod etiam post lapsum rectè dicitur, & hominem post lapsum retinuisse imaginem Dei.

§. 8. Secundo urgemus locum Eccles. VII. 29. ubi dicitur *homo in initio creatus esse* יָשָׁר *rectus & perfectus*, quæ vis vocis colligitur ex locis parallelis, Deut. XXXII. 4. 1. Samuel. IX. 6 1. Reg. III. 6. & hæc rectitudo per partes alibi explicatur videlicet quod complexa fuerit ἐπίγνωσιν

Coloss. III. 10. agnitionem, justitiam Ephes. IV. 24. unde etiam Gen. II. 25. dicitur nudos fuisse, sed non erubuisse, videlicet propter omnium sensuum membrorumq; externorum amicissimam cum rectitudine mentis & voluntatis conspirationem. Dices apud Ecclesiast. esse sermonem de perfectione naturali, non de perfectione morali. Resp. utiq; de morali esse sermonem, quæ ipsa tamen suo modo naturalis fuit, quatenus nativa formationis conditione in Protoplastis fuit, eo modo quo reliquiæ imaginis divinæ nobis adhuc sunt naturales de quibus Paulus agit Rom. II. 15. & quo injustitia nobis post lapsum est naturalis. Adde si naturalem perfectionem Deus tantum dedisset, homo autem ipse sibi superadderet & acquireret moralem, utiq; dicendum esset, Deum dedisse id quod minus est, & hominem sibi superaddere id, quod majus est, quod est impium. Dices, hominem primum tantâ stupiditate fuisse, ut major in infantem cadere non posset, nec sciviisse Adamum naturam bestiarum aut conjugis, aut arboris vitæ aut suæ mortalitatis aut nuditatis: præterea in primo homine fuisse carnis & spiritus rebellionem per quam factum est, ut laberetur, qui alias nunquam peccaturus fuisset si Deo similis justitiâ fuisset. Resp. scientiam Adami elucere ex impositione nominum brutorum, item ex nomine conjugis חַוָּה item אִשָּׁה quæ voces & fœcunditatem & originem Evæ denotant. Quod autem habuerit notitiam arboris vitæ patet ex Gen. III. 22. 23. neq; ignorare potuit Adamus mori se posse si peccaret, cum aperta esset comminationis divinæ litera Gen. II. 17. Quod attinet nuditatem, ignorasse quidem fatemur Adamum integrum nuditatem pudibundam, unde tamen male omnis nuditatis ignorantia inferretur. Deinde non fuisse in Adamo pugnam carnis & spiritus luculenter patet ex Gen. I. v. ult. ubi dicitur hominem conditum esse valdè bonum, qui locus novum nobis argumentum suppeditat pro probanda conclusione nostra. Et palam est in homine valdè bono rebellionem utpote rem malam esse non posse, ut taceam hinc secuturum Deum esse peccati autorem: non enim hæc rebellio à materia quæ tantum principium passivum est, sed ab anima procederet, quam Deus immediatè homini inspiravit. Neq; tamen dicimus inspirasse Deum animam immutabili justitiâ præditum, qualis Dei est: solus enim Deus immutabilis, omnis autem creatura mutabilis. Dices Gen. I. v. ultim. non agi de bono morali, sed de bono naturali neq; dici hominem bonum, sed bonum fuisse quod homo talis conditus erat. Resp. bonitatem

tem debere intelligi convenienter naturæ uniuscujusq́; , Atqui bonitas moralis naturæ humanæ convenientissima est. 2. Negari id scripturam dicere. Scriptura dicit omnia esse bona, quæ fecit Deus. Ergo etiam homo.

§. 9. Deniq́; adversariis statuentibus imaginem Dei potissimum esse in Imperio & dominio sitam, opponimus gravissimas rationes. Primo enim Scriptura dominium hoc ab imagine divina distinguit, postquam enim hominem Deus ad imaginem suam formasset, dominium ei in creaturas concessum est. Clara est litera Gen. I. 26. 27. *Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram: Qui dominetur in pisces maris & in volucres cæli & in pecudes & in universam terram, & in omniá reptilia reptantia super terram. Itaq́; creavit Deus hominem in imagine suâ; in imagine Dei creavit eum: marem & fœminam creavit eos. Deinde benedixit eis Deus: Fœtificate & augescite & implete terram, eamq́; subjicite: & dominamini in pisces maris & in volucres cæli & in omnes bestias reptantes super terram.* Accedit, quod ex adversariorum sententia sequatur, fœminas utpote dominij hujus expertes ad imaginem Dei conditas non esse. Quod ipsum & si rotundis verbis adferant adversarij, scripturâ tamen reclamante id faciunt Gen. I. 27. & Gen. V. 1. 2. quibus in locis dicitur Deus creavisse hominem ad imaginem suam, & addit: marem & fœminare creavit eos, deinde benedixit eis Deus, augescite & dominamini &c. Tandem expendendum venit, justitiam & prudentiam causas esse propter quas homini dominium attribuitur, unde consequitur in his primariò esse collocandam imaginem divinam. Ut enim aliquis dominium exerceat, anima rationali præditum esse oportet, ut vero æquum & placidum sit dominium, sapientem, justum & sanctum esse oportet. Inde est quod Moses imaginem divinam à dominio describit, tanquam eo, quod est effectum proprium & testimonium imaginis divinæ. Quæ adeo vera sunt, ut Socinus ipse cont. F. Pucc. cap. 11. pag. 89. postquam dixisset: *Omnino propter imperium, non etiam propter mentem, sive rationem, aut aliquid simile illi à Deo concessum, homo ad Dei imaginem & similitudinem creatus est.* hæc subjiciat: *Quanquam in imperio illo mens quoq́; & ratio inclusa est: cum ratio & mens, quâ homo est præditus, ejus imperij causa efficiens sit. Adime enim homini rationem & mentem, & illi omne propemodum imperium in res creatas ademeris. Quandoquidem prudentia, sagacitate, & industria hominis potissimum fit, ut illi res creatæ omnes subjiciantur, eiq́; ad ipsius usus & commoditates deserviant.*

§. 10. Con-

§. 10. CONCLUSIO TERTIA. *Homo primus ex conditione naturæ suæ morti non fuit obnoxius.* Sociniani mortem negant esse pœnam peccati, quia vident hoc stante, sequi tum peccatum originis, tùm Satisfactionem Christi. Si enim mors est pœna peccati, sequitur etiam infantes habere peccatum. Moriuntur enim; at secundum adversarios peccatum non habent actuale, Ergo originale. Rursus si mortuus est Christus propter peccatum, quia proprium non habuit, mortuus est propter alienum, omnium nempe hominum pro quibus satisfecit. Cæterum notandum est 1. immortalitatem geminam esse, aliam quæ eadem est cum impotentia moriendi, sive ea sit absoluta, à parte ante, per naturam, ut in DEO, sive per gratiam ut in spiritibus creatis, aliam certo respectu talem, quæ eadem est cum potentia non moriendi. Aliud enim est non posse mori, aliud posse non mori. Posterius tribuimus protoplastis. 2. Non est sermo de potentia moriendi remota, sed de potentia moriendi proximâ: hanc negamus Adamum in statu integritatis habuisse. 3. Naturam hominis primi posse considerari dupliciter. 1 Essentialiter s. abstractè à concreatis naturæ donibus, 2. concretè unà cum illis. Nos consideramus hominem hic loci hoc sensu: homo primus, consideratus ratione concreatæ integritatis quantisper in ea perstitit, non fuit obnoxius morti; simul atq; verò lapsus est, lapsum mors temporaria pœna lapsus secuta est. Id probatur Gen. II. 17. *Si comederis morte morieris.* Confer Gen. III. 19. *In sudore vultus tui comedes panem, donec in terram resolvaris, ex qua desumptus es: terra enim es & in terram reverteris.* Hinc evidens est mortem homini eventuram non fuisse, nisi peccati meritum præcessisset. Dices verba illa literaliter quidem designare vitam miseram, quæ ipsam quoq; mortem acceleret citius, quam naturæ conditio postularet, mysticè autem significare mortem æternam, de qua Paulus agit Rom. V. Resp. de loco Pauli postea agemus, probabimusq; Paulum hanc divinam comminationem, non de morte æterna tantum, verùm etiam de morte temporaria explicare. Cæterum quod efficaci illa locutione Morte morieris, omnis generis mors & imprimis temporaria intelligatur, patet ex Executione Gen III 19. ubi comminatio sic explicatur: *pulvis es & in pulverem redigeris*; & *hoc omnibus hominibus est statutum* Hebr IX. 27. Adde alia scripturæ loca, in quibus phrasis illa Morte morieris, de morte temporaria accipitur Gen XXVI. 11. Exod. XXI 16. Judic. XIII. 22, 2. Samuel. XII. 14. Dices in executione mortis mortis tempo-

temporariæ fieri mentionem non tanquam pœnæ, sed tanquam termini, ad quem usq; pœna sit duratura, hoc enim insinuari particulâ DONEC. R. si particula hæc DONEC est terminus pœnarum, sequitur à ratione pœnæ excludi mortem æternam, hæc enim temporariam sequitur 2. particula DONEC non excludit à ratione pœnæ, sed includit pœnam ejusq; consummationem, sicut fit Deut. XXVIII. 20. &c. Amplius dices non omnem mortem habere rationem pœnæ v. g. mortem martyrum. R. Mors Martyrum vel potest præcisè considerari, ut mors est, vel ut est violenta, & testimonium perhibet divinæ veritati. Posteriori modo non est pœna, sed priori. Ad locum Gen. III, dices, inde constare, hominem etiam ante lapsum è terra fuisse formatum, habuisse corpus animale, instructum facultate gignendi, quæ mortalitatis indicium manifestum est, Lucæ XX. 35. 36. habuisse corpus cibo & potu egens, summa, omnes in eo fuisse mortalitatis causas. R. Non sequi hæc omnia. Nam & Enoch & Elias tali corpore præditi fuerunt, neq; tamen necessariò mortui sunt: Quanto minus necessariò moriturus fuisset homo primus, in quo Elementorum, humorumq; harmonia nunquam fuisset turbata, & quicquid alimenti vel potus forte labem aliquam conciliare potuisset, id totum esu arboris vitæ divinâ gratiâ sublatum fuisset. Falsum ergo est in homine integro omnes fuisse mortalitatis causas. Locus Lucæ impertinenter allegatur, quippe in quo nihil aliud dicitur, quam disparem futuram conditionem vitæ præsentis & futuræ & in hac nullum conjugio locum futurum. Id quod extra controversiam est, nec statum causæ ferit.

§. 11. Deinde urgemus loca Rom. V. 12. & cap VI 23. in priori dicitur *per unum hominem peccatum in mundum introïsse & per peccatum mortem.* In posteriori: *stipendium peccati mors est.* Dices hic intelligi mortem æternam. R. Mortem æternam non posse dici regnasse ab Adamo usq; ad Mosen, in omnes, eos etiam, qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adami i. e. in infantes. Dices: Mortem illam non simpliciter per unius hominis peccatum in omnes homines pertransisse dici: sed quatenus omnes peccaverunt, unde patet non agere Apostolum de morte quorumvis hominum simpliciter, sed eorum qui Adamum peccando secuti, participes etiam facti sunt mortis illius, in quam ipse per peccatum suum incurrit. R. 1. τὸ ἐφ' ᾧ supra à nobis explicatum esse. 2. Non hic agi tantum de morte eorum qui Adamum peccan-

do secuti sunt, verum etiam de iis qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adami liquidum ex versu 14. Cæterum quod dicunt per mortem intelligi moriendi necessitatem, nullum possunt producere Scripturæ locum, in quo vox Mors talem obtinet significationem; semper enim mors vel actum mortis, vel moriendi potentiam significat. Deniq; dices, omnes peccati pœnas morte Christi sublatas esse, undè consequitur, quia mors naturalis non est sublata, eam peccati pœnam haud esse. R. Non rectè dici, morte Christi omnes peccati pœnas simpliciter loquendo sublatas esse: Nam manent illæ omnes pœnæ, quas protoplastis inflictas esse memorat Moses Gen. III. 16. seqq. dolores, labores, terræ sterilitas, deniq; mors naturalis. Cur autem hæ pœnæ non sint sublatæ, manifesta causa est, quia videlicet in nobis, quantisper vivimus, peccati reliquiæ durant. Sufficit quod mors naturalis per Christi satisfactionem velut exarmata est, nec tam mors dicenda & vitæ exitus, quam introitus in vitam beatissimam.

§. 12. CONCLUSIO QUARTA: *Baptismus aquæ est divinitus institutum, atq; à Christo mandatum Sacramentum.* Et esse quidem Sacramentum patet, tum ex verbis promissionis Marc. XVI. 16. tùm ex formula institutionis Matth. XXVIII. tùm deniq; ex effectis hujus Sacramenti spiritualibus, de quibus agetur Conclus. VI. VIII. Nunc Baptismum aquæ esse à Deo mandatum & à Christo præscriptum, non autem ritum aliquem liberè ab Apostolis assumptum probamus 1. Clarâ Scripturæ literâ Luc. III. 2. 3. Joh. I. 31. Joh. III. 27. quibus in locis apertè Johannis Baptista dicitur *missus, ut baptizaret:* Item, *factum esse mandatum Dei ad Johannem:* Cum quibus conferri potest interrogatio Christi, urgentis Pharisæos, ut dicerent, *numquid è cælo vel à Deo fuisset baptismus Johannis, an vero ex hominibus* Matth. XXI. 25. Hinc factum, ut Pharisæi repudiantes baptismum Johannis dicuntur *spreviſſe consilium Dei* Luc. VII. 30. Porro quid apertius esse potest loco Matth. XXVIII. 19. ubi expressum est mandatum: *Euntes docete omnes gentes & baptizate eos.* Excipiunt vocem baptismi non posse hic significare baptismum aquæ, sed doctrinam propterea quia Apostolus Paulus expresse 1. Cor. I. 17. dicit, se non esse missum ad baptizandum sed ad Evangelizandum sive docendum. R. 1. Quod vox baptismi doctrinam vel initiationem designet, debuissent Sociniani alio Scripturæ loco probare; quanquam non negemus, vocem illam aliquando doctrinam quoq; significare; interim negamus

gamus vocem hanc uſpiam doctrinam ſolam ſignificare. 2. Nos inhæremus proprietati vocis baptismi: quæ eſt ἀπὸ τὸ βάπτειν, tingere, lavare, imbuere, & ubicunq; abſolutè ponitur & uſurpatur, ſemper ſignificat baptismum aquæ, idq; eo magis, quia vox hæc loco præſenti eſt poſita abſolutè ſine ullo additamento, quod tamen fieri debuiſſet, ſi alius quam aquæ baptismus hic intelligi deberet. 3. Dicimus talem hic baptiſmum intelligi, qualem jam antea Apoſtoli Chriſti exercuerant, qualemq; poſt aſcenſionem ipſi uſurpabant. Atq; baptismum aquæ exercuerunt Joh. III, 22. Et exercituri poſt aſcenſionem erant Actor. VIII, 36. c X, 47. &c. 4. Non poſſe hic per baptizare intelligere *docere* abundè patet inde, quia docendi mandatum jam præceſſerat. Dices τὸ μαθητεύσατε eſſe diſcipulos facere ſicut Johan. IV. 1. ea vox explicatur Reſp. & ſic includi officium docendi ſine quo diſcipuli fieri nequeunt; Et hoc clarius fit ex manifeſta oppoſitione inter baptizandum & docendum. Si enim res eadem utrâq; voce ſignificaretur, nullo modo dicere potuiſſet Paulus miſit me Deus non ad baptizandum, ſed ad Evangeliſandum. Dices: attamen baptizavit Apoſtolus Paulus ut ex hoc ipſo loco I. Cor. I. patet. Reſp. Hinc liquidum eſt, verba Apoſtoli, non miſit me Chriſtus, non intelligenda abſolutè, ſed comparativè, Non tam me miſit ad baptizandum, quam ad Evangelizandum: Nam baptiſmus non requirit in præcone verbi tantam induſtriam, tantumq; laborem, quantum requirit munus docendi. Interim niſi Paulus ad baptizandum fuiſſet miſſus, non utiq; ullum hominem legitimè baptizare potuiſſet; nemo enim ſibi ſumere debet, quod à Deo ipſi non eſt commiſſum Joh. III. 27. Conferatur cum loco Pauli Matth. XXII. 7. ubi ſimilis eſt phraſis, miſericordiam volo & non ſacrificium. i. e. non tam ſacrificium quam miſericordiam. Dices diſciplinam Chriſti eſſe ſpiritualem, quæ excludit talem baptizandi ritum, & per conſequens baptismum à Chriſto non eſſe inſtitutum. R. Diſciplinam Chriſti eſſe ſpiritualem concedimus, omnes excludere ritus externos pernegamus, id quod evidenter patet ex Cæna Dominica, quam ipſi adverſarij fatentur eſſe præceptum ad ceremonias ſ. ritus ſpectans. Dices nuſpiam legi omnes Apoſtolos & fideles eſſe baptizatos. R. Quid tum poſtea? multa facta ſunt, quæ omnia ſcribi non potuerunt Joh. I. 25. Apoſtoli docuerunt Gentes ſervare omnia quæ mandaverat Chriſtus Matth. XXVIII. 20. Atq; baptismum mandaverat Chriſtus, ut ſupra dictum eſt. E. & hunc docuerunt gentes Apoſtoli ſervare. Deniq;

dices disciplinam Christi totam esse spiritualem nec pendere ab externa aquæ materia. Resp. Verum id esse: neq; tamen negandum, sapienter Deum adhibuisse externa media, ut captui hominum, & imbecillitati consuleret & condescenderet, qui in hac mortalitate quantumvis renati ab externis sensibus pendent.

§. 13. CONCLUSIO QUINTA. *Baptismus ita est à Deo institutus, ut debuerit durare, quantisper Ecclesia durat.* Hoc pariter negant Socinian. Nos eis opponimus 1. Dictum Matth. 28. Ubi τὸ baptizate ponitur indefinite sine ulla temporis determinatione. 2. Urgemus locum Joh. III 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non introibit in regnum cælorum.* Hic urgemus necessitatis notas & characteres, Amen, Amen, item exclusivam Nisi, item Non potest, quin Et copulativum, atq; rationem quæ subjungitur, quod ex carne natum est caro est. Dices: hic non posse intelligi baptismum aquæ, quia alias sequeretur neminem non baptizatum posse intrare regnum cælorum; intelligi ergo hic debere pœnitentiam, per quam in scriptura passim dicimur novæ creaturæ effici sive renasci, & hanc esse Spiritum & aquam s. spiritualem aquam. Conferatur locus similis Matth. III 11. *ipse baptizabit vos Spiritu Sancto & igne* i. e. spirituali igne, ubi τὸ Et est ἐξηγητικὸν prioris, neq; necessum est τὸ Et copulativum utramq; partem ponere. R. urgemus proprietatem vocis aquæ; quam in verbis Christi accipiendam esse literaliter, indè persuasi sumus, quia nullus potest proferri locus Scripturæ, in quo vox aquæ simpliciter & nudè posita Spiritum Sanctum significet; Semper enim aliquid additur v. g. aqua munda, aqua quam Christus dat &c. Deinde urgemus scopum quæstionis Nicodemeæ, qui patescit ex hoc ipso cap. III. 35. Nimirum propter dubia, quæ exoriebantur circa baptismum Johannis ablutionem q; & purgationem baptismi Nicodemus ad Christum venit, cupiens de re tota erudiri. Cæterum absurdum illud, quod putant Adversarij hinc sequi, non habemus pro falso; concedimus absq; hoc Sacramento initiationis ordinariè neminem introire in regnum cælorum sub N. T. posse, adeoq; baptismum qua nos necessitate præcepti omnibus & singulis necessarium esse, interim qua Deum, necessitate medij non item, & hanc necessitatem ex præsenti loco Johannis invictè concludimus. Porro vitiosa est consequentia per pœnitentiam renascimur, per aquam hic dicimur renasci. E. aqua hic est pœniten-

nitentiâ: potest enim unus idemq; effectus à plurimis causis proficisci. Locus parallelus adductus rem non conficit, neq; τὸ Et simpliciter est ἐξηγητικὸν, cum omninò certissimum sit, non tantum Spiritum Sanctum in ipsos Apostolos nudè effusum, sed sub symbolo ignis, adeoq; non nudus fuit ignis, nec tantum spiritualis fuit ignis. Præterea disparitas est inter locum Johannis & inter locum Matth. cum in altero τὸ ἐξηγούμενον præcedat, in altero sequatur. Cæterum conjunguntur etiam Spiritus & aqua 1. Joh. V. 8. neq; tamen ibi unum alterius ἐξηγητικὸν esse potest. Deniq; aut copulative est explicandum τὸ Et aut disjunctivè. Si illud, habemus quod volumus; Sin hoc, sequetur non minus aquam sine spiritu, quam spiritum sine aqua, tum ad renascentiam, tum ad salutem esse sufficientem 3. Producimus locum Hebr. VI. 1. 2. Ubi baptismus ponitur inter catechetica rudimenta, hæc autem sunt omnium temporum. E. & baptismus. Confer ad Eph. 1 V. 5. ubi connectuntur *unus dominus, una fides, unum baptisma, unum corpus, unus spiritus, una spes*, quæ omnia non sunt temporaria, sed perpetua. Tandem 4. producimus locum ad Eph. V. 26. Ubi dicitur Christus *mundasse Ecclesiam lavacro aquæ in verbo*, unde sequitur quantisper Ecclesia durat, tantisper durare oportere baptismalem ablutionem. Dices: à Paulo hic nominari lavacrum aquæ, quod in verbo vitæ purgandi vim habet, adeoq; lavacrum aquæ hic doctrinam Evangelicam significare. Resp. hanc glossam ineptam esse, distinguuntur expressè à Paulo lavacrum aquæ & verbum; quando dicit lavacro aquæ in verbo mundatam esse Ecclesiam.

§ 14. CONCLUSIO SEXTA. *Baptismus est organon, per quod regeneramur & salvamur.* Probatur 1. ex Epist ad Tit. III. 15. ubi baptismus vocatur *lavacrum regenerationis in Spiritu Sancto.* Dices aquam esse rem merè materialem: Ergo non posse regenerare, regenerationē significare mutationē nostri; mutationem autem illam in melius non posse ascribi aquæ, sed considerationi divinarum promissionum, adeoq; Deum solum regenerare, non per aquam, sed per verbum suum. Resp. 1. Quod dicitur rem materialem non posse esse causam spiritualis regenerationis, si de causa materiali sermo sit falsum est; nam & corpora piorum regenerantur; sin de causa efficiente sit sermo pariter falsum. Verbum enim Dei res materialis est, feriens aures humanas, quis autem neget illud esse causam regenerationis? Quod si quis negare ausit, ejus

insolentia retundetur charissimis dictis; *Verbum Dei est potentia Dei ad salutem; Est Malleus, est ignis, est gladius utrinq; acutus, imò hoc penetrantior, & pertingit usq; ad divisionem animæ simul ac Spiritus compagumq; ac medullarum* &c. Deinde Aquæ ut aquæ nos nullam tribuimus generationem, sed prout includit verbum institutionis & verbum promissionis; hoc enim pacto fit organon Spir. Sancti, qui non immediatè agit sed per verbum & Sacramenta, atq; sic aqua hominem regenerat, non virtute insita & naturali, sed modo supernaturali elevata à Spiritu Sancto ad effectum suâ virtute nobiliorem producendum. Exceptio autem Photinianorum, quando dicunt, per lavacrum regenerationis nihil aliud intelligi, quam veram pœnitentiam per Evangelij prædicationem inanis est, omniq; destituta fundamento; monstrent ullum Scripturæ locum, in quo lavacrum regenerationis explicetur per pœnitentiam II. Producimus locum Actor. II. 28. Ubi expressè baptismus conferre dicitur *in remissionem peccatorum*, & per consequens per baptismum hominibus peccata remittuntur. Dices: non hic attribui remissionem peccatorum baptismo, sed pœnitentiæ, pœnitentiam agite & baptizetur unusquisq; in remissionem peccatorum, aut si baptismo etiam debet ascribi remissio peccatorum, non ipsa remissio, sed declaratio remissionis est intelligenda. R. 1. *Verba remissionem peccatorum* non copulantur cum 70 pœnitentiam agite, sed cum illo baptizetur unusquisq; in remissionem peccatorum. 2. Declaratio illa non potest hic intelligi; nam secundum stylum Scripturæ, quando aliquid præcipitur vel jubetur fieri in remissionem peccatorum, tùm non indigitatur remissionem jam ante factam, sed id indigitatur remissionem illam prærequisito impleto & purificata illa conditione obtinendam. III. Producimus locum Eph. V. 25. 26. confer Act. XXII. 16. In priori loco dicitur *Ecclesia mundari lavacro aquæ in verbo:* In posteriori dicit Ananias ad Paulum, surge & *baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine Domini.* De priori loco diximus aliquid §. præcedenti. Posteriorem autem locum quod attinet, excipiunt Sociniani, ablutionem non attribui baptismo, sed invocationi nominis Domini, vel si debet attribui baptismo, tum ablutionem peccatorum non de remissione peccatorum, sed de declaratione remissionis peccatorum esse intelligendam. R. Quod non debeat ablutio copulari cum illa invocatione, quæ sequitur, indicio manifesto est, quod respicit ablutio baptismum, de quo præcedit: in eo enim fit ablutio. Cæterum quod non tantùm declaratio hic ablutionis & remissionis intelligatur,

id

id tùm manifestum est ex eô, quod supra dictum est, tùm ex eô, quod Socciniani dicunt tribui invocationi nominis Jesu, at per illam invocationem non tantum declaratur remissio facta, sed per eam fit vere. IV. Producimus locum 1. Pet. III. 20. 21. Ubi expresse dicitur, *nos salvos facere baptisma*, conferatur Mar. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Excipiunt ad locum quidem Petri non ibi intelligi baptismum aquæ, aut depositionem sordium carnis, sed bonæ conscientiæ interrogationem &c. Sic etiam ad locum Marci excipiunt, non ibi intelligi baptismum aquæ, sed pœnitentiam, vel etiam publicâ professionem nominis Christi &c. Resp. ad 1. accuratè debere observari comparationem Petrinam. Confert Petrus aquas diluvij & arcam, quâ mediante servabatur Noah cum filiis conjuge ac & filiorum conjugibus & aquas baptismi. Ratio comparationis versatur in hoc: sicut per arcam Noah servatus est, ne aquis diluvij submergeretur, ita etiam nos per baptismum servamur. Undè patet, illud baptisma nos servare, quod est antitypum arcæ Noæ in aquis natantis; Atq; baptismus aquæ est antitypus. E. Dicitur autem baptismus ἐπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς θεὸν s. interrogatio bonæ conscientiæ apud Deum, sive talis professio, quâ pactum cum Deo initur, quia interrogabantur olim catechumeni an vellent abrenunciare diabolo & pompæ ejus & credere in Deum, adeoq; studere, ne amitterent fidem & bonam conscientiam, ut testatur Ambrosius lib. de ijs qui mysterijs initiantur cap. 11. & lib. 1. de Sacramentis cap. 11 Tandem producimus locum ad Gal. III. 13. Ubi dicitur baptismum efficere *ut Christum induamus*, conferatur Rom. VI 4. Dices hic non dici à Paulo Galatas Christum induisse. neq; enim id dicere poterat Paulus, tùm quod Galatæ inobædientes & obstrepentes erant veritati Evangelij, tùm quia solus Deus verè potest affirmare quempiam Christum induisse. Resp. Hanc glossam esse contra manifestam Pauli assertionem. Neq; sequitur: Galatæ post baptismum fiebant inobædientes gratiæ Evangelij E. suscipientes baptismum non induunt Christum; potest enim fieri, ut, qui semel Christum cum beneficijs suis induit, postea à fide & gratia per Christum parta deficiat Nos inhæremus apertis Pauli verbis, *quotquot baptizati estis Christum induistis*, videlicet secundum intentionem Dei qui per talia media hominum salutem intendit. Unde Luc VII. Pharisæi dicuntur *sprevisse consilium Dei erga se ipsos, spernentes baptismum Johannis* &c. Tandem adducimus quoq; locum Johan. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiri-*

& Spiritu, ubi expresse regeneratio attribuitur aquæ. Exceptiones Photinianorum contra præsentem locum §. 12. sunt discussæ.

§. 14. CONCLUSIO SEPTIMA. *Infantes fidelium sunt baptizandi.* Rationes has damus 1. Si baptismus succesit in locum circumcisionis, sequitur eodem jure infantes posse & debere baptizari, quò olim circumcidebantur. Atqui verum prius ex Col. II. 11. 12. E. Dices: quo minus baptizandi sunt infantes, fieri per mandatum Christi Matth. XXVIII. Ubi baptizandi jubentur prius doceri. Resp. τὸ μαθητεύσατε & ipsi Sociniani agnoscunt idem est ac facite discipulos. Atqui etiam possunt & debent disciplinæ Christianæ in ipsa infantia consecrari 2. Etiamsi concedatur τὸ μαθητεύσατε significare docete, non tamen dici, prius docete, postea baptizate, quin etiamsi hoc diceretur nihil aliud obtinerent adversarij, quam si quis ad gentiles proficiscatur, primum eos docendos, antequam ipsi eorumq; infantes baptizari possint. Sed nihil hæc ad rhombum. Nostra quæstio est de infantibus Christianorum, non autem Gentilium. II. Ex Act. II. 38. Ex quo loco tale potest formari argumentum; Ad quos spectat promissio & fœdus, ad illos quoq; spectat promissionis fœderisq; Sacramentum. Atqui etiam ad infantes spectat promissio. Ergo. Dices præceptum vel consilium Petri: *baptizetur unusquisq; vestrum* &c. fuisse temporarium, ac valuisse in Ecclesiæ initio; nunc autem non amplius valere. Resp Quod baptismus non sit ritus aliquis temporarius supra demonstratum est. Cæterum quod præsentem attinet locum, palam est Petri præceptum esse perpetuum ex adjuncto fine, qui est remissio peccatorum, ut ex eo, quod sequitur. Dicit enim Petrus: *vobis facta est promißio, & filijs vestris & aliorum, quoscunq; advocaverit Dominus.* Quamdiu ergo durat remissio peccatorum & vocatio hominum ad salutem, tamdiu durat baptismus. Atqui illa sunt perpetua. Ergo & hæc. Confer locum Matt. 28. de quo antea dictum, ubi jubentur Apostoli baptizare omnes gentes, Ergo etiam infantes. Dices hoc non sequi. Jubentur omnes gentes laudare dominum, neq; tamen hic includuntur infantes. Resp. Quidni? secundum illud Ps VIII. 3 *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti tibi laudem.* &c. Socino urgenti, ut exemplum proferamus hominis, qui à teneris institutus in religione Christiana & baptizatus sit, opponimus non tantum loca Scripturæ, in quibus integræ familiæ memorantur baptizatæ Act. XVI. 33. 1. Cor. I. 16. in quibus credibile est etiam infantes fuisse, verùm etiam Originem in cap. 6. Epist. ad Roman. ubi scribit, *Ecclesiam ab Apostolis traditionem accepisse, etiam parvulis dandi baptismum.*

baptismum. III. Quorumcunq; est regnum cælorum, ij debent baptizari. Atqui infantium est regnum cælorum. E. Minor patet ex Matth. XIX. 14. Major clara est ex Joh. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum cælorum.* Dices etiam Johannis VI. 53. simile quid contineri, *Nisi quis manducaverit carnem Christi & biberit ejus sanguinem, non habebit vitam æternam,* neq; tamen indesequitur, quod voluerunt vetusti patres, etiam infantibus esse porrigendam Sacram cœnam. Resp. locum Johannis agere de manducatione spirituali, quæ fit per fidem. Cæterum etiam infantes suo modo credere constat tùm ex Matt. XVIII. 6. ubi puerulo attribuitur fides & tali quidem puerulo, quem Christus in ulnas suas levatum sit complexus Marc. IX. 46. quemq; alij ad Christum adduxerint, βρέφη Luc. XVIII. 15. tùm etiam ex illo Pauli Gal. III. 27. quotquot in Christum baptizati sunt, Christum induerunt, puta per fidem, præcessit enim versu 26. Omnes estis filij Dei per fidem in Jesum Christum. Adde universalia illa effata Hebr. XI. 6. *Fieri non potest, ut quisquam absq; fide Deo placeat.* Joh III. 18. *Qui credit non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filij Dei.* Marc XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* Quin & si largiremur Christum Joh. 6. VI prælusisse manducationi & bibitioni Sacramentali à se posteà instituendæ, quia quater distincta fit mentio corporis & sanguinis dominici versu 53. seqq. (quæ tamen in spirituali manducatione non distinguuntur) magna adhuc esset dissimilitudo. Nam manducaturis carnem Christi mandatum est 1. Cor. XI. 28. ut se ipsi probent & postea edant, quale mandatum de baptismo nuspiam est expressum. III Desumitur Eph. V. 26. Ubi dicitur Christus mundasse Ecclesiam suam lavacrô aquæ in verbo. Aut ergo infantes ad Ecclesiam pertinent, aut non pertinent. Pertinere ipsi adversarij fatentur; E. sequitur quod & ipsi debeant mundari lavacro aquæ in verbo; Quæ contra hunc locum excipiunt, supra vidimus.

§. 15. CONCLUSIO OCTAVA. *Sacramenta cum Veteris, tùm Novo Testamenti eo fine sunt à Deo instituta ut gratiam conferant & fidem vel operentur, vel confirment.* Operentur in infantibus, confirment in adultis. In hac conclusione probanda breviores esse possumus. Quod enim baptismum attinet res est clara ex dictis. Quod attinet Sacram cœnam, quam Sociniani nudam ceremoniam esse dicunt, quâ nec beneficium aliquod spirituale conferatur, nec quicquam in mente hominis efficiatur, pariter res certa est. In hac enim corpus Christi comeditur & Sanguis ejus bibitur, & caro illa quidem editur, quæ effectum habet mundi vitam Joh. VI. 51. & sanguis

ille bibitur, cujus effectus est remissio peccatorum. Unde patet non posse fidem non confirmari, cum in cœna cuivis communicanti dicitur: Accipe, hoc est corpus pro te in mortem traditum; hic est sanguis pro te effusus: Nimirum calix Eucharisticus continet vinum; hoc Christi sanguinem: hic N. T. hoc habet remissionem peccatorum. Ergo bibitio ex Calice applicat & confirmat credentibus remissionem peccatorum. Adde quod indigni edant sibi mortem & condemnationem, unde manifestum est iis, qui dignè vescuntur hac cœnâ, prodesse eam ad vitam & salutem. Hoc fine quoq; jubemur recordari mortis Christi, non theoretice sed practicè, fide sc. nobis applicando beneficia morte Christi parta. Dices, etiam extra usum cœnæ debere nos recordari mortis Christi. Resp Concedimus illud, attamen sacrâ cœnâ utentes solenniori & illustriori modô recordamur mortis Christi. Dices eos qui ad Sacram cœnam accedant, fide jam esse præditos firma Resp. Non omnium communicantium fidem esse firmam, multorum esse languidam & vacillantem, quæ debeat firmari, quin nunquam fidem esse tam firmam, quin possit crescere debeatq;, cum attente devoteq; homo fidelis promissionem illam secum expendit, quæ est. Joh. VI. 54. seqq. *Qui comederit carnem meam & biberit sanguinem meum, is habeat vitam æternam, is manet in me & ego in ipso, & ego suscitabo ipsum in novissimo die.* Dices, externa illa signa æternam manducationem & bibitionem non posse aliquid afficere in mente hominis, & novum judaismum introduci, si rebus externis asscribatur efficacia spiritualis. Resp. Prædicationem verbi esse aliquid externum, & tamen producere aliquid spirituale in mente hominis. Sed hac de re supra dictum. Non est autem in externis illis hærendũ, sicut judæi faciebant; *Sursum corda ad Dominum habenda sunt.* Dices, verbum Dei satis efficax esse, nec egere ulla confirmatione per Sacramenta. Resp. Neq; nos dicimus verbum Dei non satis efficax esse, aut egere confirmatione aliqua in se spectatum; hoc saltem volumus, confirmationem illam esse intelligendam respectu nostri cum scilicet promissa in verbo bona invisibilia visibilibus & in sensus incurrentibus signis exhibentur, confirmatur, ut sic nostræ infirmitati consulatur. Hactenus de Sacramentis N. T. diximus: restat, ut etiam de V. T. Sacramentis agamus, Circumcisione & Agno Paschali. Quod circumcisio gratiam conferit patet ex Gen. XVII. 7. ubi annexa est promissio circumcisioni: *Ero Deus tuus & seminis tui post te.* Adde v. 14. ubi pœna contemptoris circumcisionis proponitur hæc; *Eradicabitur è populo suo, quia irritum fecit fœdus Dei.* Et imprimis notanda est fœderis divini sententia expressa Lev. XXVI. 12. *Habitabo in eis & ipsorum Deus ero & ipsi mihi erunt populus.* Ne autem excipiant Sociniani hanc inhabitationem non-

continere gratiam spiritualem, sed tantum temporariam, inspiciant Paulum hæc verba allegantem II. Cor. VI. 16 Adde ad Rom. IV. 11. ubi *circumcisio* vocatur *Sigillum justitiæ fidei*. Notum autem est Sigillum propter hanc causam tabulis publicis appendi solere, ut sententiam illarum confirmet, ijq; quorum inter est, reddantur de eâ certissimi. Et vel hinc apparet Sacramenta certos homines reddere de fœdere Dei, deq; promissionibus ex parte Dei certissimè præstandis. Tandem quod attinet Agnum paschalem cum certum sit, illum fuisse Typum Christi Joh. XIX. 36. I. Cor. V. 7. omnino excitavit in mentibus vescentium memoriam Christi crucifigendi, *agni illius qui tollit peccata mundi* Joh I. 29 36. eamq; non speculativam sed practicam sicut modo de Sacrâ cœna dicebatur.

§. 16. CONCLUSIO NONA: *In verbis Institutionis Cœnæ nec τὸ Hoc actionem frangendi & comedendi, nec τὸ corpus commemorationem corporis Christi pro nobis fracti designat.* Hæc enim est sententia Socinianorum propria, qui aliàs in negotio Sacræ Cœnæ Calvinianis sunt ὁμόψηφοι. Nam & ῥητὸν plenissimè evertunt, & præsentiam corporis & sanguinis Dominici in Cœna pertinaciter oppugnant, & manducationem atq; bibitionem oralem corporis & sanguinis Dominici, quæ tam ab indignis, quam à dignis fiat, acriter negant, deniq; fractionem panis repræsentativam in legitima Sacræ Cœnæ celebratione necessario requiri contendunt. Quæ omnia Scholæ Calvinianæ debent. Cæterum, quia de controversis hisce inter nos & Calvinianos capitibus egimus Exercitatione Anticalvinistica sexta, in cujus §. 2. seqq. demonstratum est, *rectè & necessario in verbis Institutionis sacræ Cœnæ τὸ ῥητὸν sive sensum literalem retineri*; §. 9 10 seqq. *corpus Christi realiter & substantialiter in cœna præsens & mediante symbolo panis ac corporis comedi, sanguinem item realiter & substantialiter præsens mediante vino bibi*; §. 14. seqq *ipsos quoq; indignos, hoc est, impœnitentes & infideles ore accipere ipsissimum corpus & sanguinem Christi*; demum §. 17. seqq. *ritum fractionis panis nec esse Cœnæ essentialem, nec usurpandum gratia repræsentationis & adumbrationis sive præfigurationis*, ostensum atq; evictum, nolumus actum agere. Semel ibi dicta & defensa sufficiant. Nunc paucis conclusionem nostram firmabimus, & sic finem huic Exercitationi imponemus. Primo sic arguimus: Illud intelligitur per pronomen τοῦτο hoc, quod Christus accepit & comedere jussit. Atqui non actionem, sed panem & corpus comedere jussit. E. non actio, sed panis & corpus intelliguntur per pronomen τοῦτο. Major innititur omnibus bonæ interpretationis mediis, inprimis verborum Institutionis junctura. Minor

clara

clara est. Et hinc est, quod cum panem Christus suis distribuisset, non τοῦτο sed τοῦτο subjecerit, manifestè ostendens non solum panem sed aliquid amplius voce τοῦτο comprehendi. Dices: si vox τοῦτο etiam corpus comprehendit, ineptam fore propositionem. Respondeo, nullo modo. Nam in propositionibus exhibitivis, illud quod exhibetur, si plura contineat conjuncta, & subjectum & prædicatum eandem rem comprehendunt, subjectum confusè, prædicatum distinctè. Vid. Exerc. Antical. VI. § 8. Quod de pane dico, idem de vino intelligendum. Neq; sine manifesta absurditate & falsitate dici potest τὸ τοῦτο de effusione sanguinis Christi intelligendum. Neq; enim hanc bibere jussit, neq; hæc ποτήριον Luc. XXII. 20. aut Novum Testamentum præcisè est, neq; dici potest effusio effusa esse in remissionem peccatorum. Nimirum evidenter Lucas, quid per τὸ τοῦτο sit intelligendum, monstrat, cum dicit intelligendum ποτήριον idq; ἐν τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ. Manet ergo, per τοῦτο non intelligi actionem frangendi vel effundendi, quod contextus & collatio Evangelistarum atq; Pauli clarissimè loquitur. Neq; per τὸ σῶμα sive corpus potest intelligi commemoratio corporis Christi. Id enim intelligitur corpus, quod pro nobis in mortem traditum est. Atqui non commemoratio corporis Christi, sed ipsissimum corpus pro nobis in mortem traditum. Adde quod Evangelistæ pariter & Paulus manifestè distinguunt inter manducationem corporis Christi & commemorationem istam. Pauli verba clara sunt I Cor. XI. 25. 26. Separari enim hæc possunt, ut in indignis & prophanis qui edunt quidem corpus Christi, sed non commemorant mortem Domini, sicut oportet, nec discernunt corpus Domini, qualis Judas, quem interfuisse Sacræ Cœnæ Lucas disertè ostendit cap. XXII. 21. Nec abnuunt Johannes & Matthæus: hic enim duodecim Apostolorum mentionem apertam facit XXVI 20. seqq. ille lotioni pedum interfuisse Judam docet, quæ sacram cœnam secuta est Joh. XIII. 2. 3. 4. Dices, post acceptam buccellam exiviſse, teste Johanne, quæ res præcessit cœnam teste Matthæo. Respondeo, Matthæum non præcisè tempus determinasse, sed rem ipsam, quæ contigerit, exprimere voluisse. Adde, quod exiverit Judas noctu Joh. XIII. 30. Cœna autem vesperi administrata. Deniq; sic argumentamur: illud intelligitur in hac prædicatione, hoc est corpus meum, quo explicatur κοινωνία panis & corporis. Atqui per actionem non explicatur talis κοινωνία. Neq; enim de actione frangendi & effundendi, sed de fracto pane & benedicto calice pronunciat Paulus, quod ille sanguinis Christi, hæc corporis Christi vera sit & realis κοινωνία. Ergò

COROL. *Baptisma à Johanne administratum & à Christo propositum substantia differre docet Sozin. lib. de baptism. cap. 6. pag. 71. sed falsò.*

EXERCITATIONUM ANTISOCINIANARUM
SEPTIMA
DE
RELIQUIS ERRORIBUS SOCINIANORUM,

Quam
DEO OPT. MAX. JUVANTE
PRÆSIDE
DN. CASPARO MAURITIO,
S. S. Theol. D. Prof. & Ecclesiaste,
Publicè examinandam proponit
JOHANNES KLEINE/
Stralsundensis Pomeranus.

Habebitur ad d. 15. Novembr.
in Auditorio Majori.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LI.

1651

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn741206374/phys_0185

DFG

Ad Dn. Respondentem, contrà Socinianos Disputantem.

NE frustrà videare sacris operatus in hortis,
In Publico vis conspici.
Qui tempus potu, turbis, ludisvè fatigant,
Latere semper expetunt.

f.
Hermannus Schuckman/
Theol. D. & Prof.

Ad Præstantissimum

DN. RESPONDENTEM,

Domesticum meum Singulariter dilectum.

SOCINI *quæ sint nova monstra, doces. Benè factum!*
Torpescant alii. Tu benè rem gerito.

Grat. app.
PRÆSES.

Ad Politissimum

DN. RESPONDENTEM,

INfausti technas dum propulsare *Socini*,
Gestis, de cathedrâ promtus defendere verum,

Com-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0186
DFG

Comprecor his ausis aspiret Numen, & almo
Te ductu regat atq; beet, sic *Janè* bonorum
Auxiliante DEO, messis prolixa sequetur.

L. M. Q.
sc.

Johannes Corfinius, SS. Th. Lic.
Past. Mar. & P. P.

CArmina cur poscis? mea non per carmina possunt
Ingenii dotes crescere JANE tui.
Fervidus Eusebien colis enthea pulpita scandens,
Hinc te Musa vocat delitium Eusebies.
Rescindis fraudes, queis impia turba Socini
Ausa fuit textus contemerare sacros.
Laudo tuos ausus, rumpantur ut ilia Momo,
Cultorem pietas scit decorare suum.
Perge manu assidua pervolvere dogmata sacra,
Ah! Sophiæ studium pergito amare pium.
Sic, quod amas, olim magnum Pomerania reddet,
Sic olim cœli te domus alta manet.

Ita,
Virtute & Eruditione
Præstantissimo Dn. Respondenti,
Amico & Commensali suo svavissimo
Φιλίας καὶ εὐνοίας ἕνεκα
gratulabatur
M. Daniel Lipstorpius,
Lubecensis.

§. I.

PRimæ classis controversias Socinianas per DEI gratiam ordine expendimus, quas sibi malè sana ratio vendicat: nunc ad eas, quas secundi velut ordinis fecimus, & à pruritu novandi pendere d ximus Exercitatione prima, accedimus, non interim diffitentes, & in his abusum rationis satis luculentum cerni, nec esse nulla, quæ vetustatis sibi titulum jure merito vendicare posse videantur. Quemadmodum enim Sociniani negando Trinitatem vestigia premunt veterum hæreticorum, Simonis Magi, Noetianorum, Praxeanorum, Hermogenianorum, Sabellianorum, Origenianorum, Macedonianorum, Metangismonitarum, Donatistarum, Priscillianorum, Triscelidarum; & in specie oppugnando divinitatem Jesu Christi, Cerinthianos, Ebionæos, Alogianos, Theodotianos, Artemonianos, Dulianos, Samosatenianos, qui & Pauliani, Symmachianos, Photinianos, Arianos, Semiarianos, Eunomianos, Aëtianos; negando Incarnationem Christi, tum eos, quos modò diximus, hæreticos, tum Docitas, Saturninum, Apollinaristas, Prochinianistas, Valentinianos, Monophysitas, Monothelitas, Timotheanos, Nestorianos, Eutychianos, Marcionitas, Bardesianistas, Jacobitas, Theodosianos, Julianistas, Secundianos, Ptolomœitas, Apellitas, Cerdonianos, statuendo veterem populum Israelitieum velut porcorum quendam gregem in terra Canaan citra ullam felicitatis æternæ & duraturæ promissionem saginatum, Manichæos ac Marcionitas, quorum dogma erat, neminem ante decimum quintum annum Tiberii servatum; negando satisfactionem, Petrum Abelardum, qui anno M. C. XL. in Galliis vixit, (hunc Bernhardus & Otto Frisingensis Abailardum, Platina Baliardum vocat) quem secuti sunt Arnoldus Brixianus & Gilbertus Porreta, Pictavorum Episcopus; ἀναμαρτησίαν renatorum statuendo, Catharos; vires adstruendo liberi arbitrii & peccatûm originis destruendo, Pelagianos & Semipelagianos; denique omnes hæreticos recipientes in communionem, Rhetorianos sequuntur: ita dum carnis hujus resurrectionem inficiantur, faciunt

cum Samaritanis, Sadducæis, Carpocratianis, Valentinianis, Secundianis, Ptolomœitis, Marcosiis, Severianis, Origenianis, Hieracitis, Seleucianis; dum immortalitatem animarum quidam negant, cum Arabicis; dum materiam præexistentem statuunt DEO coævam, cum Marcione, Valentino, Manichæis, & sic fore in aliis nonnullis veteres habent suis erroribus præeuntes. Nihil enim ferè jam dicitur, quod non dictum sit prius. Sed ad veteres respexisse Socinianos in sententiis, quas defendunt, non arbitramur, quibus ignotum esse nequit, apud hos homines Veterum authoritatem plane nullam esse. Libido contradicendi, mutandi, novandi hic sine dubio utramq; facit paginam. Cæterum, quot illa lubido pepererit opinionum monstra, ostendimus Exercit. I. §. 7. ubi easdem in certum ordinem redegimus, quo sic memoriæ studiosæ juventutis consuleremus, in cujus emolumentum hæc omnia diriguntur. Nunc, DEO duce, rem ipsam aggrediamur, & heterodoxis adversariorum positionibus Orthodoxas & nostras assertiones opponamus.

§. 2. ASSERTIO PRIMA: *Solus DEUS est æternus.* Rectè *æternitatem* Crellius definit Col. 120, *quæ & initio caret & fine.* Cæterum male Col. 46. *tempus & motum sive mutationem ait ante conditum mundum fuisse.* Malè item Col. 126. *distinguit inter ab æterno fuisse & ante conditum mundum fuisse.* Passim enim Scriptura hæc habet ἰσοδυναμοῦντα, unumque per alterum explicat, ut Psal. XC. 2. Proverb. IIX. 23. Esa. XLII. 38. seqq. &c. Nos solum DEUM esse æternum, inde probamus, quia æternitatem Scriptura soli DEO attribuit passim, Psal. CII. 13. 28. XC. 2. XCII. 9. Apoc. IV. 8. I. Tim. I. 17. Rom. XVI. 26. Eadem Scriptura materiam informem, motum Solis & Lunæ & consequenter tempus, adeoq; cæteras res omnes dicit à DEO creatas Gen. I. & II. Et hujus rei tanta evidentia est, ut ipse Crellius Deum definiat Spiritum æternum Col. 106. & æternitatem differentiæ loco ponat. vid. Col. 120. Si ergo DEI differentia est æternitas, sequitur præterquam DEO, eam nulli competere. Majoris moliminis contro versia circa descriptionem æternitatis agitatur, quam *negat* Crellius Col. 127. *In uno momento totam consistere posse, eo quod omnis duratio habeat partes, quarum alia succedat alteri, alia sit prior, alia posterior.* Huic opponimus ASSERTIONEM SECUNDAM: *In æternitate nulla est partium successio.* Notandum successionem aliam esse extrinsecam & imaginariam, vel per coexistentiam ad tempus imaginarium vel per coexistentiam ad tempus verum, sive motum cœli:

aliam

aliam vero esse internam. Quando negamus dari in æternitate successionem, non loquimur de successione imaginaria (potest enim quis Deum sibi repræsentare, utcras & perendie futurũ, hæc tamen repræsentatio nullam in DEO realem durationis successionem ponit) sed de successione interna. Probatur assertio nostra, quia DEUS prorsus immutabilis, in quem non cadit successio secundum prius & posterius. Malach. III. 6. Psal. CII. 26. Jacob. I. 17. Si enim talis successio in DEO daretur, semper aliquid amitteret, aliquid acciperet, amitteret præteritum, acciperet futurum, quæ sine mutatione DEI fieri non possunt. Inprimis huc pertinet locus, quem ex Psal. XC. 4. citat Petrus II. Ep. III. 8. *Una dies apud Dominum sunt sicut mille anni, & mille anni sicut unus dies.* Hoc enim loco non tantum id dicitur, quod volunt adversarii, non videri DEO tempus tardum etsi longinquum sit: hinc enim sequeretur, cum dicitur, DEO unum diem esse ceu mille annos, id dici, DEO unum diem adeo tardum videri ac mille annos. E. hic locus demonstrat, apud DEUM nullum esse discrimen temporum vel annorum. Adde, quod in essentia divina nulla prorsus detur successio, unde consequitur, in ejus duratione nullam quoque successionem dari. Affectiones enim sequuntur indolem subjecti, nec æternitas ab essentia Dei differt. Et in hoc conspicitur immanis differentia inter DEUM & creaturas, in quarum essentia datur successio, quia egent ad suæ essentiæ conservationem singulis momentis Deo conservante ipsarum essentiam, qualis successio in Deum planè non cadit. Unde emergit novum argumentum. Quicquid neq; partes fluentes habet, neq; partes essentiæ suæ habet dependentes ex influxu continuo alterius conservantis, id necesse est simul totum esse & carere successione. Neq; inde sequitur, quod quidam volunt, æternitati omnes temporis differentias simul adeoq; sibi quoq; invicem coexistere: præteritum enim coexstitit, præsens coexistit, futurum coexistet, nec futurum præsens est aut contrà. In his ergo successio est, in illa indivisibilis, tota simul & perfecta possessio vitæ interminabilis, quæ sunt Boëthii librat issima verba. Neq; hæc de æternitate sententia in Papatu demum conficta est, quam tuetur Augustin. de Vera Relig. cap. 49. *Mentis quippe adspectu omnem mutabilitatem ab æternitate sejungo, & in ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno, quia spatia temporis præteritis & futuris rerum motibus constant. Nihil autem præterit in æterno, & nihil futurum est: quia & quod præterit esse desinit, & quod futurum est, nondum esse cœpit.* Æternitas au-

tem tantummodo est, nec fuit; quasi jam non sit, nec erit, quasi adhuc non sit. Quare sola ipsa verissimè dicere potuit humanæ menti: Ego sum qui sum. Et de illa verissimè dici poterit: Qui est, misit me. Vide eundem Conf. lib. XI. cap. II. & Dionys. de divinis Nominibus cap. X. Tertullian. adversus Marcion. lib. I. II. III. Iren. lib. II. ad. hær. cap. 65.

§. 3. ASSERTIO TERTIA: *DEUS essentia sua immensus est non tantùm virtute.* Hæc probatur Psal. CXXXIX. 7. seqq. *Quo irem à Spiritu tuo, aut quo à facie tua fugerem? Si scanderem cœlos, illic es: aut stratum ponerem in sepulchro, ecce ades &c.* Dices: ibi sermonem non esse de essentiæ immensitate, sed de omnipræsente providentia & operosa DEI virtute. B. Urgemus voces *Illic es & ecce ades*, quæ non operationem sed essentiâ designant. Adde, quod virtus Dei Deus est. Unde sequitur ubiq; Deum esse. Deinde si nullus locus nec augustissimus, imò nec cœli cœlorum Deum capiunt, sequitur Deum essentia esse immensum. At verum prius. E. Major patet: si enim dicamus Deum essentia sua non esse immensum, omnino sequitur, Deum certo loco finiri & mensurari, utut eum maximum esse dixeris, & æqualem toti mundo. Quod est contra naturam infiniti Dei. Minor est I. Reg. VIII. 27. Jerem. XXIII. 24. Esa. LXVI. 1. &c. Quanquam enim in cœlo dicatur habitare, nequaquam tamen id eo fine dicitur, ut cœlo eum ineludi inde colligamus, sed ut discamus singulari modo Deum angelis & hominibus majestatem suam in cœlo patefacere. Tandem, si Deus cum omnibus creaturis concurrit, utiq; omnibus est essentialiter præsens. Nam inter agens & effectum, movens & motum debet esse propinquitas. Atqui testatur Scriptura Act. XVII. 27. *DEUM non longè abesse ab unoquoq; nostrum, & in ipso vivere nos, moveri & esse.* Unde non tantum virtutis propinquitas concluditur, verum etiam essentiæ. Dicitur quidem Deus abesse ab impiis Num. XIV. 42. verum non essentia, sed gratia sua & auxilio speciali. Neq; si omnibus creaturis præsentissimus essentia dicatur Deus, inde sequetur, Deum cum illis compositum esse, nisi velimus dicere pisces cum aquis esse compositas, eò quod inter ea substantialis est propinquitas. Præclarè Chrysostomus homil. I. de incomprehensibili Dei natura: *Itaq; more pueri ego quoq; & scio complura, tamen modum eorum ignoro. DEUM namq; esse ubiq;, totumq; esse quaq; in parte orbis terrarum novi, sed quemadmodum sit, nescio.* Vid. August. de præsentia Dei cap. V. ubi dicit, *DEUM non esse in dimidio mundi corpore dimidium & in alio dimidio dimidium, atq; sic in toto totum, sed in*

in solo cœlo totum, & in sola terra totum, & in nullo contentum loco, sed in seipso ubiq; totum. Tertull. adverſ. Praxeam: *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi & mundus & locus & omnia.* Sequitur ASSERTIO QUARTA. *DEUS ita est omnipotens, ut etiam ex nihilo negativo aliquid creare & corpus unum in pluribus simul locis constituere possit.* Qui enim potest plura efficere, quam homines vel petant vel cogitent, is ita omnipotens est, ut quicquid nec contradictionem implicat, nec imperfectionem in agente, adeoq; utrumq; illorum, quæ negant Sociniani, facere possit. Loca Scripturæ clara sunt Eph. III. 20. Luc. I. 37. Matt. XIX. 26. Psal. CVI. 2. Iren. lib. V. cap. 7. *Neq; natura alicujus eorum, quæ facta sunt* (E. nec loci) *neq; infirmitas carnis fortior erit super voluntatem DEI. Non enim DEUS his quæ facta sunt, sed hæc DEO subjacent, & omnia serviunt voluntati ejus.* Gregor. Nyssen. de resurrect. Christi Orat. 3. *Omnipotens est dicitur DEUS. At ei, qui omnia potest, nihil & perplexum, nihil quod explicari aut expedir i perficive non possit.* Chrysost. Hom. II. in Genes. *Unde si Manichæus te accesserit dicens materiam præexistere, vel Marcion, vel Valentinus, vel gentilis, dic ad illum: In principio fecit DEUS cœlum & terram.* Dicunt Sociniani ante mundum fuisse materiam & Angelos. Sed hoc si est, ante mundum fuit mundus, cœlum & terra. Quod est contra expressam literam Gen. II. 1, 2. ubi *sex diebus dicuntur perfecti cœli & exercitus cœlorum,* quo Angeli quoq; comprehenduntur, ut patet I Reg XXII. 19. Die autem septimo quievisse dicitur ab omni opere suo, quod fecerat. Unde patet, eum non quievisse à creatione angelorum ante conditum mundum. Quod autem concernit materiam mundi, aut hæcà se est, aut ab alio. Si à se, ergo est Jehovah. Si ab alio aut à Deo, aut à creatura. Non ab hac, Ergo ab illo. Si à Deo, utiq; creatum est, idq; ne in infinitum eatur, ex nihilo negativo. Solent quidem Sociniani excipere cum Volkelio Col. 493. axioma illud vulgare; Omne, quod est, aut Creator est aut creatura, verum non esse. Sed manebit illud verum tantisper, donec sufficienti ratione contrarium adverſarii demonstraverint. Ad locum transimus, qui aut pars est essentiæ humanæ, aut non est. Si est, sequitur debere ingredi hominis definitionem. Si non est, accidens est, quod potest abesse vel abesse citra subjecti corruptionem. Si dicas, dari medium, esse scilicet locum corporis accidens proprium, respondeo, omne proprium inesse subjecto secundum actum primum & potentiam remotam, non autem semper secundum actum secundum & potentiam proximam.

Animali proprius est sensus, sed secundum potentiam remotam. Homini proprium est ridere, non ut actu semper rideat, sed ut possit. Igni proprium est, si in materia rectè disposita sit, ut urat, non quidem actu (neq; enim pueros in fornace Babylonica urebat) sed potentia. Et ad hunc modum corpori competit localitas sive locabilitas, nimirum quia est quantum, non quod semper actu sit in loco, eoq; circumscribatur, sed quod possit semper circumscribi, idq; natura sua poscat.

§. 4. ASSERTATIO QUINTA: *Deus ita est omniscius, ut etiam futura contingentia certo sciat & infallibiliter.* Distinguit Crellius inter ἐσόμενα & μέλλοντα. Ἐσόμενα dicit esse, quæ certo fiunt & necessario futura sunt v. g. Eclipses. Hæc ait esse, quæ non certo & necessario, sed contingenter futura sunt, ita ut possint non fieri. Hæc negat sub scientiam Dei cadere. Verum, si omnia opera Dei sunt Deo cognita ab æterno, sequitur etiam quædam futura contingentia Deo ab æterno esse cognita. Prius est Act. XV. 18. Ebr. IV. 12. 13. Neq; obstat multa futura contingentia non esse solus Dei, verum etiam arbitrii creati. Sufficit, quod sint opera Dei. Qualia sunt tum naturalia, v. g. sessio hominis, cogitatio, ambulatio &c. de quibus vid. Psal. CXXXIX. 2. I. Reg. IIX. 39. Job. XLII. 22. tum supernaturalia, quæ à gratia Dei unicè dependent, v. g. fides, quæ expressè opus Dei nominatur Joh. VI. 29. Adde, quod Deus omnia novit Joh. XXI. 17. I. Joh. III. 20. unde sequitur, eum futura quoq; contingentia nosse. Si dicas, res contingentes non esse determinatè veras vel falsas, ideò quod contingenter sunt futuræ, adeoq; nec posse cognosci cũ omne cognoscibile sit verum, respondeo, omnino esse determinatè veras vel falsas: neq; enim fieri potest, ut contradictioriarum una vera nõ sit. Interim ab intellectu humano illa veritas vel falsitas futurorum contingentium non perspicitur, quod tamen potentiæ Dei cognoscitivæ infinitæ nullum creare præjudicium potest. Et hæc præscientia rerum futurarum evidenter ex Prophetiis omnium Prophetarum constat, adeo, ut nihil quod vel veri speciem habeat, opponere contra adversarii possint. I. Reg XIII. 2. de Rege Josia deleturo altaria; Cap. XXII. 28. de Achabi exitio, quorum utrumq; contingens fuit, prædictio extat. Et quid dicemus de prophetiis Danielis, de contingentibus Regum & Regnorum mutationibus? Quid de Esaiæ loco cap. XLI. 22. 23. ubi argumento hoc contra idola Deus utitur, quod ipse prædicere potest futura, quæ illa non possunt? Hic non intelligi possunt τὰ ἐσόμενα, Hæc enim etiam Diabolus

ius sæpe prædicere potest. De infallibili Christi omniscientia videantur loca clarissima Matt. XXI. 2. Joh. II. 28. XIV. 6. XXI. 17. Matt. XXVI. 18. & 34. Unde argumentum formamus tale: Abnegatio Petri aut fuit certo & necessario futura, aut contingenter. Prius dici nequit, nisi velimus dicere voluntatem Petri à Deo fuisse determinatam, quod & blasphemum, & cum hypothesi adversariorum pertinacissimorum arbitrii liberi patronorum pugnat. Ergo contingenter. At hoc contingenter futurum Christus præscivit, non fallibiliter; clara enim sunt Christi verba: *Amen dico tibi &c.* Ergo manet, Christum infallibiliter id præscivisse, quod contingenter futurum erat. Demum, si Deus nescit futura contingentia, sequitur, intellectionem Dei, qua ipse omnia intelligit, non esse unam, sed in re multiplicari. Posterius est absurdum E. & prius. Majoris connexio patet, quia eo casu inciperet Deus novisse, quæ antea ignoraverat. Minor ex dictis manifesta est. Esset profecto hoc argumentum non tantum magnæ imperfectionis Dei, quippe quæ à creaturis scientiam emendicaret, sed & mutationis & successionis actuum intelligendi, quæ pugnat cum æternitate, excludente successionem partium, earundem mutationem & corruptionem. Dices: si omnia etiam futura contingentia libera Deo determinatè sunt prægnita, quomodo fieri potest, ut Deus serio moneat, hortetur, oret & obtestetur homines, ut resipiscere velint? quomodo dici potest, Deum contristari propter hominum malitiam & contumaciam? quomodo dici potest, Deum uvas exspectasse ab hominibus, cum fecerint labruscas? quomodo dici potest, Deum juravisse se introducturum populum suum in terram sanctam, & tamen propter populi incredulitatem se id non facturum esse? Respondeo invertendo argumentum: ideo, quia talium peccatorum præscientiam habet Deus, omnino hortatibus & comminationibus suis non posse non serio rem agere. Præscientia enim Dei non tantum in malitiam humanam fertur, verum etiam in omnia ea, quæ talem malitiam antecedunt, absq; quibus esset, malitia illa talis & tanta futura non esset. Si enim Deus non tam serio dehortaretur homines, contumacia illorum inexcusabilis & tanta non foret. Quia ergo contumacia illa tanta locum habere nequit, nisi præsuppositis & præmissis admonitionibus, dehortationibus, utiq; nec præscientia contumaciæ esse poterit, nisi præscientia istarum præcedat aut præsupponatur. Tandem inquies: Si Deus præscit omnia contingenter futura, ergo necessario eveniunt, nec potest de re-

bus

bus contingentia non petire. Respondeo, præscientiam non imponere rebus præscitis necessitatem μελλήσεως sive futuritionis. Id enim faceret vel præscientia, quà talis, vel præscientia qua est Dei. Non prius multa enim præscire etiam homines possunt v.g. Mathematici, Medici, Politici, quæ tamen non ideo eveniunt, quia præsciuntur. Non posterius: Deus enim ipse suas actiones liberas, v.g. creationis &c. præscit, quæ tamen ideo non fiunt necessariò, necessitate antecedente, quanquam largiamur fieri necessitate, quam vocant consequentiæ & comitantem, quæ est ex suppositione effectus orta à libera voluntate, habente libertatem ponendi vel tollendi talem suppositionem. Adde, quod præscientia sua Deus non tantum præscit res ipsas, verum etiam modum, quo res futuræ sunt, necessario an contingenter. Quod si ergo necessitas rebus per præscientiam infertur, fallitur præscientia divina, cum rem contingenter futuram prævidet. Bene Augustinus lib. V. de civit. Deo cap. IX. *& confiteri esse Deum & negare præscium futurorum, apertissima, inquit, est insania.*

§. 5. ASSERTIO SEXTA. ***Deus ab æterno certos homines nominatim præscivit credituros, eosq; nominatim elegit.*** Contrarium tuetur Socinus in prælect. cap. 13. ubi contendit omnes illos locos, in quibus de divino eoq; antiquissimo quorundam hominum servandorum decreto agitur, ita explicandos esse, ut non certi quidam nominatim intelligantur, sed genus quoddam hominum. Quod est inauditum in Ecclesia dogma. Schlichtingius adversus Meisnerum de Prædestinatione sic de re tota loquitur: *Proponit* (Meisnerus sententiam Socinianorum) *non rectè. Nec enim nos dicimus, Deum certa individua ab æterno prædestinasse ad vitam, certa reprobasse, idq; ideo, quod illa quidem piè victura, & libero arbitrio rectè usura, hæc vero non usura præviderit. Utrumq; istorum & prædestinationem reprobationemq; in singulari seu individuo factam, & præsensionem istam utpote utramq; pietatis studio infestam & S.L. contrariam rejicimus. Sed id tantum asserimus, Deum eos omnes, quicunq; ipsius præceptis pro virili ad finem usq; paruerint, ad vitam æternam prædestinasse; eos vero, qui non paruerint, reprobasse. Ut vero quispiam hac ratione obediat vel non obediat, cuiq; liberum esse dicimus, nec quempiam à Deo, antequam esset, vel prædestinatum vel etiam infallibiliter præviśum ad obedientiam vel inobedientiam esse contendimus. Itaq; electio & reprobatio in genere prorsus est certa & immutabilis: in individuo autem mutabilis est, utpote cum ex electorum vel etiam ex reproborum numero esse, cuiq; à Deo liberum est relictum.*

Hacte-

Hactenus Schlichtingius. Quæ de libertate & obedientia (per quam definiunt fidem salvificam) dicuntur, Exercit. V. sunt ventilata. Nunc superest, ut electionem certarum personarum nominatim ab æterno factam demonstremus. Supponimus primo ex dictis, Deo ab æterno omnia opera sua nota esse, nec quicquam ei in tempore supervenire posse, salva ejus æternitate, immutabilitate & omniscientia. Neq; enim in Deo indeterminata sunt decreta, omnia sunt certissima & determinata. *Quos præscivit*, nempe credituros, *hos elegit*, inquit Paulus. Atqui præscivit me, te, Petrum Paulum nominatim crediturum, sicut dicitur Christus Joh. VI. 64. sciviſſe, quinam nominatim essent credituri, qui non. Et notandi sunt articuli ὅς, τοῦτος Rom. VIII. 29. 30. quodq; Deus illos prædestinavit confirmandos Jesu Christo, vocandos, glorificandos, quod utiq; certarum personarum est. Sic Eph. I. 4. 5. *electi dicimur esse ante jacta mundi fundamenta.* Matt. XXV. 34. dicitur *regnum nobis esse paratum à constitutione mundi.* Nobis, inquam, qui esurientem cibavimus &c. non tali hominum generi duntaxat, sed nominatim iis, quos alloquitur Christus. Adjunge his loca, quæ agunt de quibusdam in libro vitæ inscriptis nominatim v. g. Apostolorum Luc. X. 20 adjutorum Pauli Phil. IV. 3. omnium & singulorum fidelium Apoc. XVII. 8. Ubi non potest habere locum exceptio adversariorum de generatim inscriptis Christi discipulis & sectatoribus. Neq; juvat adversarios, quod Metaphorica sit locutio, inscribi in librum vitæ & quod scriptura dicat quosdam deleri posse de libro vitæ. Quod enim deletionem hanc attinet v. g. cum David Psal. LXIX. 29. petit, ut *inimici sui ex libro viventium deleantur* &c. non evincit eos, quæ actu sunt inscripti libro vitæ, deleri posse, sed explicandi sunt tales loci negativè, dele eos, hoc est, declara nunquam inscriptos fuisse. Solent enim nomina & verba affirmativa in scriptura sæpè poni pro contrariis negativis. Quomodo Augustinus lib de prædest. sanct. cap. 4. *obdurare* & *excœcare* explicat per *non emollire, non illuminare.* Sic Philosophi τὸ Deus est à seipso, negativè explicant, non est ab alio. De electis verum est, quod dicit Christus Joh. X. 28 Oves meas nemo rapiet è manibus meis. Deinde fatemur esse Metaphoricam locutionem, sed talem, cui res, de qua quæritur, subest. Alias enim sequeretur, nominum inscriptionem potuisse fieri, sine ullo nomine, quod absonum. Ostendunt loci citati satis evidenter ipsa credentium nomina propria in Dei libro conscripta esse. Benè Tertullianus lib. de Trinitate: *Apud Deum*, inquit,

& personarum & rerum omnium ordo digestus. Id expressit, quod per librum Scriptura innuit, nempè scientiam & destinationem Dei, qua de rebus pariter & personis ab æterno secum decrevit & statuit.

§. 6. ASSERTIO SEPTIMA: ***DEUS ita simplex est, ut omnem realem compositionem prorsus excludat.*** Realem dico: rationis enim compositionem facilè concedimus. De reali compositione nobis contradicunt Sociniani. Volkel. col. 493. *negat idiomata divina esse ipsum Deum.* Crellius de Deo & Attrib div. col. 146 nititur probare, *nos affirmantes decreta Dei esse ipsam Dei essentiam non uno modo contradictione involvi, unde nec Dei decreta omnia ab æterno esse facta concedit.* Col. 339. Et Col. 349. *DEUM, dum decernit varia apud sese, ipsum sibi accidentia adjungere & semet ex seipso & accidentibus componere* ait. Contrarium verum est tum ex Scripturis, tum ex ratione. Quando enim Deus aliquod agere dicitur per attributa, Scriptura pro eodem habet ac ipsum agere per essentiam. Sic cum *jurat* Deus *per vitam sanctitatem & nomen suum* Amos IV. 2. Psal. LXXXIX. 36. non potest intelligi Deus jurare per aliquid, quod non sit ipse. Expressè enim Apostolus Ebr. VI. 13. *DEUM jurare* testatur *per semetipsum, quia majorem non habet, per quem juret.* Unde sequitur, attributa illa esse ipsum Deum, vel etiam, Deum cum jurat per attributa non jurare per id quod summum est, quod est contra Apostolum Adde Gen. XXII. 16. *Per meipsum juro, dictum Jehovæ* & Amos VI 8. *Jurat Dominus per semetipsum.* Sic alibi Deus dicitur *peccatorum misereri propter benignitatem suam* Psal. XXV. 8. hoc est, *propter semetipsum* Esa. XLIII. 25. Præterea, quicquid varias implicat imperfectiones, id penitus à DEO removendum. Atqui compositum esse varias implicat imperfectiones. Ergo. Maior patet. Divina enim essentia includit infinitam perfectionem simpliciter, adeoq; omnem illam perfectionem, quæ in attributis significatur. Est enim non aliunde, sed à se Dus sapiens, bonus, justus, perfectissimus, *ut verè dici possit, id Deus esse, quod ejusmodi est, cui nihil comparari potest. Super omne est enim, quod dici potest,* inquit Tertullianus lib. de Trinitate. Minor pariter est manifesta. In omni enim composito pars est aliquid alterius (totius) totum vero aliquid ex aliis coalescens, quibus suam debet perfectionem. Adde quod pars à toto, & hoc à partibus certa ratione dependet. Quivis ergo videt, minimè hæc DEO convenire, cujus infinitam perfectionem nec assequi mens humana, nec proloqui lingua potest. Et quales illæ partes forent, nun-

nunquid infinitè perfectæ, annon? Si prius, partes esse desinunt, quippe carentes perfectione totius; sin posterius, ex finitis fiet infinitum. Ut taceam, ab omnibus Deum concipi tanquam actum purissimum, hoc est, excludentem potentiam ad esse, quam vocant objectivam, neq; enim Deus potest non esse: excludentem potentiam passivam, neq; enim mutari ab ulla re Deus potest Jac. I. 17. excludentem potentiam activam materialem naturalem, neq; enim eget Deus ad rerū productiorem materia ut causæ naturales. Deniq; si est compositus Deus, ab alio compositum esse necessum est, & consequenter componentem perfectiorem & fortiorem esse. Omnis enim actio, quæ cum agentis victoria fit, est à fortiori. Vel si à seipso dicatur compositus, erit seipso perfectior & fortior. Dices, si omnia divina attributa Deo & inter se idemtificantur, sequitur, Dei velle esse idem ac Dei posse, quod absurdum. Multa enim potest DEUs quæ non vult. Adde quod actiones Dei non sint omnes æternæ. Unde sequitur, actiones Dei non esse ipsum Deum. Respondeo ad primum. Omnino Dei posse idem est cum Dei velle. Interim distinguenda Dei attributa ab effectis objectisq; eorundem, quæ varia esse possunt & aliter atq; aliter se habere, salva ipsorum attributorum identitate tum inter se tum cum Deo. Ad posterius dico, actus Dei alios esse personales, alios immanentes, alios transeuntes. Personales sunt generatio Filii, Spiratio Spiritus Sancti, qui actus sunt plane singulares & ἀνεξιχνίαστοι. Immanentes sunt decreta Dei, intellectio, volitio. Transeuntes, creatio, conservatio. Postremi actus non dicunt actionem novæ alicujus perfectionis in Deo, sed dicunt novi termini à Deo sine sui mutatione dependentiam. De actibus immanentibus & liberis potissima quæstio est. Dicuntur autem immanentes non positivè, quasi in Deo subjectentur, sed negativè, quod in materiam externam non transeant. Duo de his quæruntur 1. an sint accidentia à Deo & inter se realiter distincta. 2. an sint libera an vero necessaria. Accidentia non esse inde patet; quia omne accidens infert mutationem de meliori in pejus vel contrà. Fatemur quidem ineſse mutationem in rebus à Deo decretis, sed non in ipso Deo decernente. Dicimus ergo, decreta Dei considerari posse vel activè vel passivè. Activè sumta sunt principium decernens, nec à Deo vel inter se distinguuntur: neq; enim multis, distinctis, successivis aut ad essentiam suam supervenientibus actibus Deus decernit, sed seipso & sua ipsius essentia. Passivè autem & objectivè sumta, prout rem ipsam decre-

tam significant, realiter & à Deo & inter se distinguuntur, v. g. damnatio Judæ & electio Petri. Ad posterius dicimus, actus liberos posse spectari vel ut sunt in Deo v. g. intellectio ejus & volitio; vel cum tendentia, relatione, terminatione istorum actuum extra Deum in certa objecta, prout nimirum practicè sese ad objectum aliquod producibile extendunt. Priori modo sunt necessarii, non liberi. Interim liberè se extendunt ad objectum, libereq; se determinant sine interveniente actu secundo vel operatione, contrà quam fit in Angelis aut hominibus. Verbo: Deus seipso vult, seipso intelligit. Atq; hæc & sententia Ecclesiæ priscæ. *Deus*, inquit Ambrosius de fide lib. I. cap. 7. *naturæ simplicis est, non conjunctæ atq; compositæ, cui nihil accidat, sed solum quod divinum est, in natura habeat sua.* Et August. lib. V. de Trinit. cap. II. *Aliæ essentiæ vel substantiæ capiunt accidentia: quibus in eis fiat vel magna vel qualitatum mutatio. Deo autem aliquid hujusmodi accidere non potest: & ideo sola substantia vel essentia, quæ Deus est, incommutabilis est, cui profecto maximè & verissimè competit esse. Quod enim mutatur, non servat ipsum verum esse. Et quod mutari potest, etsi non mutetur, potest, quod fuerat, non esse. Ideoq; illud solum, quod non tantum non mutatur, verum etiam, quod mutari omnino non potest, verissimè dicitur esse.* Similia passim habet Augustinus, ne de Irenæo, Tertulliano, Basilio, Hilario, aliisq; dicam.

§. 7. ASSERTIO OCTAVA: *Justitia Deo est essentialis.* Sociniani putant residere quidem in Deo aliquam justitiam, quæ aliàs etiam rectitudo & æquitas dicatur: interim negant esse in Deo aliquam justitiam, quæ peccata morte æterna punienda dicter, sed ex propria voluntate Deum decrevisse putant, ut aliqua tantum peccata, ea scilicet, quæ conjuncta sunt cum impœnitentia, morte æterna puniantur: cæterum potuisse Deum salva sua justitia homines, quantumvis peccantes, morti æternæ non mancipare, mancipatos autem à morte æterna liberare sola sua voluntate. Quæ omnia eo spectant, ut evincant, Christum pro peccatis mundi non satisfeciisse. De qua re Exercitatione IV. abundè, quantum quidem nostrum institutum requirit, dictum est. Nunc paucis thesin nostram probemus. Esse in Deo affectionem naturalem, quæ peccata puniri requirat, dicaturq; Justitia vindicativa, docet expressa Scripturæ litera II. Thess. I. 6. Justum est apud Deum retribuere afflictionem affligentibus. Psal. CXIX. 139. Justus es Domine, & justum judicium tuum. Ubi notandum, quod non tantum dicitur Deus justus ratione

tione operum sive judiciorum liberorum, verum etiam ratione proprietatis in Deo residentis. Nimirum effectus proprii testantur de causa, judicia Dei justa de ejusdem justitia. Et hæc justitia Dei vindicatrix à gentibus lumine naturæ percepta fuit, quod docet Paulus Rom. I. 32, cum inquit, gentes cognovisse τὸ δικαίωμα justitiam Dei, hanc nempe, quod qui talia faciunt, digni sunt morte. Quæ verba non debent restringi ad certa peccantium & facinorum genera, sicut contendit Crellius Col. 187. Non enim tantùm Deus ἀποτομίαν sive severitatem exercet erga idololatras & impœnitentes, sed etiam erga cujusvis generis peccata & peccatores. Unde est, quod maledictio denunciatur omnibus, qui non permanent in omnibus sermonibus legis Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. Matt. V. 22. Nullum peccatum adeo est parvum, ut desinat esse peccatum. Quod si peccatum est, est transgressio legis & mandati divini. Jam vero fatente Crellio Col. 187. *nec sanctitas, nec majestas Dei usquoquaq; fert ut impunè mandata ipsius violentur adeoq; nec id ferre potest.* Confer, quæ habet Col 227. ubi docet *intellectum Dei, &, quæ ei inest sapientiam voluntatem ad id, quod rectum est, semper inclinare* &c. & includit, *sanctitatem esse necessariam Dei & naturalem Dei bonitatem, quæ in eo cernitur, quod in id, quod rectum est, semper prona est, ab eo autem, quod pravum est, quod turpe & indecorum, abhorret.* Quæ ipsa fortiter obthurant os objectiunculæ vulgatæ: quod Deus homines puniat, non fieri inde, quod naturaliter ad omnes peccati pœna feratur, sed ex libero Dei decreto, non à justitia, sed libera Dei voluntate. Quæ certè cum superioribus non consistunt. Si enim Deus à pravo abhorret, nec ejus majestas & sanctitas naturalis fert, ut impunè mandata ipsius violentur, ultro id quod volumus consequitur, nempe à justitia divina sive sanctitate esse, quod puniantur peccata. Adde scripturæ effata. *Abominatio coram Deo est via impii* Prov. VI. 16. Zach. VIII. 17. Vide Exod. XX. 5. XXXIV. 7. Deut. XXV. 16. Hinc patet naturali odio Deum adversus peccata flagrare. Neq; enim peccatum mera est opinio æstimanda pro beneplacito Dei libero, neq;, quod homines morte æterna afficiuntur à beneplacito Dei esse potest, quippe *qui non vult mortem morientis* Ezech. XIIX. 32. Instabis porrò, si justitia esset naturalis & essentialis Dei proprietas, sequeretur, Deum necessario & semper punire peccata. Respondeo, consequentiam nullam esse. Neq; enim proprietates divinæ necessario, effectum suum sortiuntur, sed liberè, ita ut earum exercitium quoad actum ejusq; modum & tempus

cum etiam quoad objecti determinationem pendeat à libera DEI voluntate. Quomodo omnipotentia & sapientia DEI sunt immutabiles DEI proprietates, neq; tamen necessario, sed liberè in actum deducuntur, cum potuisset DEUS vel non creare vel prius creavisse vel aliter creasse mundum, siquidem infinitæ ipsius scientiæ aliud placuisset.

§. 8. ASSERTIO NONA: *Etiam misericordia DEO est essentialis.* Crellius col. 298. *amorem DEI gratiam & misericordiam dicit inter affectus primum occupare locum* & col 295 *hos ipsos affectus esse voluntatis divinæ, ut ita dicam, commotiones præsertim vehementiores seu actus ejusmodi, quibus voluntas vehementior vel in objectum suum fertur vel ab eo refugit atq; abhorret.* Sed affectus & commotiones DEO tribuere simpliciter, sicut hac voce utitur Crellius, repugnat volitioni Dei perfectissimæ, potentissimæ, independenti, immutabili & impossibili. Nulla in DEO locum habet boni accessio, nulla mali devitatio, nulla deniq; beatitudinis divinæ per affectus turbatio. Rectè Autor lib. de Trinitate, qui Tertulliano adscribitur: *Cujus etiam sistiracundias legitimas & indignationes quasdam descriptas tenemus, & odia relata cognoscimus, non tamen hæc intelligimus ad humanorum relata esse exempla vitiorum. Hæc enim omnia etsi homines possunt omnino vitiare, passiones enim istæ in hominibus merito esse dicuntur, in DEO non merito judicabuntur.* Atq; hæc tam aperta sunt, ut ipse Socinus Disp. de Christi natura inter fragmenta ejus pag. 19. fateatur, *divinam naturam aliqua ex parte vel alterari vel corrumpi horribile esse.* Quin ipse Crellius loc. cit. postquam dixisset, nihil prohibere, quo minus illos voluntatis divinæ actus simpliciter nominentur affectus, hæc subjungit; *Interim illud non modo libenter agnoscimus sed etiam ultro monemus, non cadere in DEUM perturbationes ejusmodi, quales in hominum aut brutorum affectibus cerni solent; sejungendaq; esse ab his voluntatis Divinæ actibus omnia, quæcunq; sunt impura, quæcunq; terreni corporis concretionem, quæcunq; imperfectionem aut imbecillitatem recipiunt: cætera, quæ in natura cernuntur affectuum illorum, quorum nomina Deo tribuuntur, esse relinquenda. Itaq; ex natura affectuum humanorum, à quibus ipse DEI Spiritus ob analogiam ac similitudinem voces ad DEUM transfert* &c. Sed ad misericordiam DEI redeamus. Fatetur Crellius Col 281. *Benignitatem naturæ divinæ admodum esse consentaneam, eaq; dignissimam: non tamen simplici atq; immutabili necessitate ei esse alligatam; alioquin non posset non DEUS benignè agere* &c. Nos inde probamus, misericordiam DEO esse-

essentialem & naturalem, quia ab æterno fuit Psal. XXV. 6. CIII. 17. II. Tim I. 9 Nihil autem, præter DEUM, esse æternum ex dictis patet. Adde, quod effectus DEO proprius arguat proprietatem. At benefacere est effectus DEI proprius ipso fatente Crellio Col. 237. Ergò. Dices, inde sequi, quod DEUS necessario benefaciat, non liberè. Respondetur, id non sequi. Quanquam enim proprietas necessario insit subjecto, potest tamen ejus actus liber esse. Instabis, sic DEO contrarios effectus tribui, & justitiam Divinam misericordiæ ejus contrariari. Respondeo, nullam hic contrarietatem esse. Non enim ex contrariis effectibus ipsarum proprietatum contrarietas rectè colligitur, nisi quis velit contendere, omnipotentiam secum contrariari quia Deus lucem fecerit & tenebras, album & nigrum, calorem & frigus: item omniscientiam, quia DEUS bonum & malum præscit. Instabis, DEUM non semper justè vel misericorditer agere. Respondeo. Quid tum postea? semper agit DEUS justè & misericorditer ad minimum negativè, sive ut non agat contra justitiam & misericordiam suam.

§. 9. ASSERTIO DECIMA: *DEUS etiam ex Naturâ cognosci potest.* Non hic quæritur, an homo praxi & profligata vita DEI sive de DEO notitiam obnubilare possit. Id enim fatemur fieri posse justa Dei desertione atq; excœcatione, ut ad tempus notitiæ Dei naturales opprimantur & tantum non exstinguantur. Inde autem non sequitur, nullam esse naturalem Dei notitiam, hoc est, talem, ubi facultas cognoscendi Deum homini ita inest, ut nemine docente actum cognitionis elicere possit, idq; tum ex inspecta natura mundi, tum ex consideratione naturæ humanæ. Quarum illa objectivè, hæc subjectivè naturalis dici potest, illa acquisita per discursum, hæc naturaliter insita est, & solo naturæ ac rationis instinctu & vi constat, clamante Deum esse. *Lex naturæ*, inquit Ambrosius Epist. LXXI. *quam DEUS singulorum infudit pectoribus, non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur & humanis ingeniis hauritur.* Quanquam vero hæc ipsa notitia naturalis non sit ad salutem sufficiens, tamen non esse eam nullam, sed aliquam, liquet ex apertis Scripturæ testimoniis. Primo docet Paulus Rom. II. 12 13. 14. 15 *opus Legis* esse *scriptum in cordibus omnium hominum etiam gentilium.* Unde consequitur, omnium hominum animis esse inscriptum, tum Legislatorem Deum esse, tum hunc ipsum esse colendum mente pura. Nec est, quod dicas, Paulum

agere

agere de gentibus, quæ post Christum fuerunt & habuerunt Evangelium, eò quod in cordibus suis ostendant scriptum opus legis, quod non nisi de novo fœdere dici solet & potest, contradistinguit enim Apostolus Judæos in lege scripta gloriantes, vers. 17. seq. cap. III. 1. 2. 3. IX. 4. gentibus quæ lege scripta carebant. Quod in gentes conversas inq; unum Ecclesiæ corpus cum Judæis cooptatas minimè quadrat. Adde quod lege carentes, νόμον μὴ ἔχοντες, peccare ἀνόμως, & sine lege condemnandæ dicantur, quodq; natura dicantur facere, quæ sunt legis, sibiq; adeo ipsæ sint lex, quarum cordibus & conscientiis lex est inscripta, quæ omnia nec in novum fœdus nec in gentiles in hoc fœdus acceptos quadrant. Nec necessum est propterea hic intelligere novum fœdus, quia inscriptionis in corde fit mentio, nisi justos Vet. Testamenti, de quibus testatur David Dei legem fuisse in corde ipsorum Ps. XXXVII. 31. dicere velimus sub novo fœdere vixisse; quod tamen pernegabunt adversarii. Unum notamus, etsi dicamus cum Paulo; legem posse dici inscriptam cordibus gentilium, negamus tamen omnia legis capita natura nota esse. *Concupiscentiam non cognovissem esse peccatum, nisi lex dixisset: non concupisces,* inquit idem Paulus Rom. VII. 7. Atq; hæc tam clara sunt, ut nec ipsi Sociniani, Socinus, Crellius, Volkelius hanc naturæ legem negent, quam potius ipsi passim diligenter inculcant. Deinde ex Paulo producimus illa verba, quæ extant Rom II. 15. Unde constat, naturalem conscienriam esse, quæ dictet DEUM esse judicem justum, absolventem illos & amantem, qui ipsum sincerè colunt & secundum legis præscriptum vivunt, punientem tum in hac vita tum post illam omnes, qui flagitiis suis jura divina & humana perfringunt. *Tanta vero* (verba sunt Ciceronis) *conscientiæ vis est in utramq; partem, ut neq; timeant ij, qui nihil admiserunt, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverunt.* Tertullianus in Apologetico, *Vultis,* inquit, *(DEUM esse) ex animæ ipsius testimonio comprobemus, quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus & concupiscentiis evigorata, licet falsis diis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula ut ex somno, ut ex aliqua valetudine & sanitatem suam patitur, & DEUM nominat, hoc solo, quia propriè verus sic unus Deus, bonus & magnus, & quod Deus dederit, omnium vox est. Judicem quoq; contestamur illum, Deus videt & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ. Deniq; pronuncians hæc non ad capitolium, sed ad cœlum respicit. Novit enim sedem DEI vivi ab illo, & inde descendit.*

Hacte-

Hactenus vidimus loca Scripturæ, demonstrantia notitiam de DEO naturalem, quæ sensu habetur & innata insitaq; animo est, nunc videamus, an ex rebus creatis hauriri de DEO notitia possit. Manifesta sunt Scripturæ loca. Psal. XIX. 1. *Cœli enarrant gloriam DEI* & quæ sequuntur. Rom. I. 19. 20. *Id quod de DEO cognosci potest, manifestum est in gentibus: DEUS enim eis manifestum fecit. Ipsius enim invisibilia* ἀπὸ κτίσεως κόσμου *ex creatione mundi* τοῖς ποιήμασι adeoq; ex ipsis creaturis *perpendenda proponi & conspici.* Quid autem per invisibilia intelligat Paulus, docet, cum addit *aterna videlicet ejus* δύναμις καὶ θειότης. Act. XVII. 26. 27. *Fecit DEUS ex uno sanguine totam gentem hominum &c. ut quærerent Dominum, si forte palpando eum invenirent, quanquam profecto non longè abest ab unoquoq; nostrum.* Cap. XIV. 16. 17. *Non passus est se esse sine testimonio, bona tribuens, dans nobis cœlitus pluvias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra.* Excipiunt ad locum Psal. Sociniani, supponere Davidem creatoris notitiam. Respondeo, imò infert ac probat. Qui enim mirandi operis ædificium videt, non potest facere, quin cogitet de architecto. Ad locum Rom. dicunt, hunc esse sensum, ea, quæ à constitutione mundi fuerint abscondita, nempe divinitatem DEI, hoc est, id quod nos perpetuo vult facere Deus, ipsiusq; potentiam, hoc est, promissiones per ποιήματα hoc est, miracula Christi & Apostolorum fuisse conspecta. Sed hæc omnia contortissima sunt, & scopo Paulino repugnantia. Nusquam vox Deitatis significat id quod nos Deus facere vult; nusquam potentia Dei promissiones, quæ nunquam intercidant: nusquam ποιήματα mirabiles Christi & Apostolorum operationes. Taceo, τὸ ἀπὸ non notare adjunctum temporis sed objectum, sicut hæc vox alibi accipitur passim Matt. III. 4. VII. 6. XI. 29. Marc. XIII. 28. &c. Quando enim tempus describitur creationis mundi, vel ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως Marc. X. 6. vel ἀπὸ καταβολῆς κόσμου Matt. XXV. 34. Apoc. XIII. 18, dici solet. Cœterum scopus Pauli est, ostendere, gentiles peccati in Deum pariter & homines esse reos, adeoq; planè inexcusabiles. Et ne quis dicat, gentilibus ignotum fuisse Deum, objectionem illam solvit Paulus & ostendit vers. immediatè sequenti, gentiles cognovisse DEUM, sed tamen non ut Deum glorificasse aut gratias egisse. Nihil hic de Christo, Apostolis, Evangelio, cujus notitia non ex miraculis, sed ex doctrina hausta est, miraculis confirmata. Ad locum Act. dicunt, quærere Deum idem esse

esse ac sanctè vivere, invenire esse experiri propitium. Quid ergo τὸ ψηλαφᾶν? Nihil aliud profecto, quam Deum non tantum ex rebus creatis cognosci posse, sed etiam tam apertè conspici, ut etiamsi cœcus sis (quales erant gentiles) palpare eum possis, modo quæras. Non enim hic Paulus loquitur de iis, qui jam Deum ex verbo cognitum habent, sed de iis, qui ignorant, id vero agere possunt ac debent, ut cognoscant. Porro qualis quærendi est significatio, talis etiam inveniendi. Hæc enim se mutuo respiciunt. Quin posito, non concesso, quærere esse sanctè vivere, invenire esse experiri propitium, manet tamen adhuc beneficia illa Dei, quæ homines adducunt, ut sanctè vivant, sicut Deus præcepit, quo propitium eum habeant, ad cognitionem Dei homines ducere.

§. 10. ASSERTIO UNDECIMA: *Per gentilem DEI cognitionem hominem Ethnicum magis Deo gratum esse falso docet* Socinus in prælect. cap. 2. pag. 7. Nimirum Spiritu vertiginis abrepti Sociniani negant notitiam Dei naturalem, hominem tamen per naturæ vires eo pervenire posse docent, ut Deo obedire, fidemq; & probitatem habere, atq; sic Deo magis gratus esse queat. Si quis enim quærat, quænam illa sint, quæ Dei essentiam spectant & ad salutem omnino sunt necessaria, respondet Catechesis Racovienſis cap. I. pag. 29 Hæc: *scire, quod Deus sit, quod modo unus sit, quod ille æternus sit, perfectè justus & perfectè potens.* Atqui hæc etiam ex natura disci possunt. Quæ si sufficerent frustra additum fuisset verbum prædicatum & scriptum de Christo. Porro, qui non est per fidem in Christo, is Deo gratus esse minimè potest. At gentilis fidem in Christum non habet. Non ergo placet Deo. Vide Eph. I. 6. Ebr. XI. 6. Joh. III. 17. 36. *Qui non credit in Filium, super eum manet ira Dei.* Hic silentio non est prætereunda absurda pariter & falsa Socinianorum sententia de religionis articulis fundamentalibus. Quid necessarium judicent ad salutem scire de Deo, ex modo dictis constat. Plura requirit Jonas Schlichtingius cont. Meisn. de artic. fundam. pag. 10. Verba ejus hæc sunt: *Unde fundamentales articuli erunt credere quod sit DEUS, quod sit Christus, quod sit remunerator eorum, qui ipsum quærunt, id est, favorem ejus gratiamq; omni studio ambiunt; quod talis sit remunerator, ut vitam æternam cultoribus suis etiam post obitum daturus sit. Huc pertinent ea omnia, quæcunq; nobis ad hanc rem omnino spectantia de DEO & Christo & Spiritu S. credenda Scriptura disertè præcepit. De DEO quidem, quod sit perfectè*

perfectè bonus, sapiens, beatus, quod omnium rerum conditor ac Dominus. De Christo, quod is sit Jesus ille ex virgine Maria natus, sub Pontio Pilato crucifixus, quod mortuus fuerit pro peccatis nostris, quod resuscitatus sit à mortuis propter justificationem nostram, quod omnem in cœlo & in terra potestatem sit adeptus, Judex vivorum ac mortuorum sit constitutus, quod sit ad judicium venturus & cunctis secundum opera redditurus, illis quidem, qui secundum tolerantiam boni operis gloriam & honorem & incorruptibilitatem quærunt, vitam æternam: illis vero, qui ex contentione & inobedientibus quidem veritati, obedientibus autem injustitiæ, indignationem & iram. De Spiritu Sancto, quod cœlitus in Apostolos fuerit immissus & per eos Christi doctrinam ipsamq; cœlestem veritatem ediderit ac confirmârit, nostræq; sit religionis dux & Magister, quod sit ipsius DEI & Christi afflatus, seu vis & efficacia, per varios sacros effectus sese in hominibus exerens, quod à DEO & Christo donetur credentibus. Denique ad fundamentales articulos pertinet notitia omnium Christi præceptorum. Hæc est Socinianorum de articulis fundamentalibus sententia adversa Socinianis ipsis, qui dicunt religionem Christianam contineri duabus partibus, præceptis & promissis. *Hoc solum ad eam pertinet*, inquit Schlichting. pag. 59. *eamq; constituit, ut tum promissionibus Christi credamus, easq; ab ipso exspectemus, tum præceptis illius, promissionum istarum spe ac desiderio inflammati, pareamus.* Nempe ipsa rei evidentia eos adegit & locorum Scripturæ Joh. XVII. 3. Ebr. VI. 1. 2. &c. autoritas, ut ampliarent numerum articulorum fundamentalium, & ad Apostolici Symboli latitudinem extenderent. Edidit anno 1642. Jonas Schlichtingius Symbolum hoc nomine Ecclesiarum Polonicarum, præfatus ista: *Symbolum, quod Apostolicum vocatur, antiquissimum esse, ipsamq; simplicissimam, qualis ab initio fuit tradita, Apostolicam continere veritatem, à nemine fuit dubitatum. Quæ causa nobis fuit, ut cum toti orbi testatum esse vellemus, nos ipsi Apostolicæ & primævæ veritati in omnibus insistere, in edenda hac Ecclesiarum nostrarum confessione, Symboli istius vestigia presso pede sequeremur. & in fine. Quæ omnia utut se habeant, cum tamen articulis istis ea explicentur, quæ fides in Christum verissime continet, non dubia est illorum apud nos authoritas. Jam porro Symbolum hoc omnia, quæ ad Christianam fidem & sic æternæ salutis adeptionem requirantur, continere, vel inde patet, quod antiquitus ad hæc usq; tempora, in omnibus Christianorum Ecclesiis usu receptum sit, eos qui Ecclesiæ per baptismum aggregantur, non de aliis quam de Symboli illius articulis interrogare: & si ad*

omnia in hoc symbolo expressa interrogati annuerent, eosdem in Christianum nomen cooptare: qui mos nunquam in Ecclesiis invaluisset, nisi jam olim creditum fuisset, Symboli istius professionem plenam esse & genuinam Christianissimi tesseram: quã cum unicam Ecclesiæ cognoscant, non ullæ aliæ magis, quam istæ Christianum nomen & titulum debent usurpare. Hæc ille. Verum, ut nihil de hujus symboli origine dicamus, ut taceamus, illo sex capita de DEO scitu necessaria non contineri, item, neminem fermè fuisse hæreticum, quin hoc Symbolum cupidè amplecteretur, hoc unum dicimus, fide non bona agere Socinianos, cum hoc Symbolum recipientibus dextram fraternitatis porrigere se paratos esse dicunt. Quanti enim in Romana Ecclesia fiat hoc Symbolum, non ignorant, neq; tamen Pontificios in fundamentalibus sanos esse concedunt. Socini in Epist. ad And. Dudith. p. 42. hæc verba sunt: *Quod ad me attinet, nullum mihi est dubium, quin omnes illi sive Calviniani, sive Lutherani, sive Anabaptistæ, sive Ariani, qui se ad præscriptum Christi gesserint (nec enim dubito, ex singulis istorum ordinibus tales non paucos esse aut esse saltem posse) cœlestis vitæ hæreditatem adituri sint. De Papistis idem affirmare nolim, quos omnes hodie idololatras esse statuo, novi vero neminem idololatrarum salutis æternæ compotem fore.* Et Theoph. Nicol. de Ecclesia p. 3. *Nos hæreticum esse dicimus, qui talia dogmata in Christi Ecclesiam infert, quæ universam fidem Christi vel partem ejus notissimam & essentiam, vel, ut aliis verbis idem dicamus, quæ vel veram DEI & Christi gloriam, vel veram pietatem tollunt. Hoc autem facere Pontificios docemus.* Sed hæc obiter καὶ ὡς ἐν παρόδῳ.

§. II. ASSERTIO DUODECIMA: *Rectè statuitur Ecclesia triumphans.* Hæc assertio pendet ab immortalitate animarum, de qua paulo post agetur. Cæterum probatur assertio nostra exemplis Abrahami, Isaaci & Jacobi Matth. XXII. 31. seqq. qui utut mortui dicuntur vivere Deo. Neq; Tò vivere Deo planè idem esse potest, quod resurgere olim, sicut contendunt adversarii. Aliud enim est vivere in præsenti, quod affirmat de beatis Christus, aliud est victuros olim. Utrumq; verum est, & victuros olim, & vivere etiamnum: Alterum respectu compositi totius, alterum respectu animæ. Illud hujus est consequens. Neque rejicimus sententiam Chrysostomi in Cap. XXII. Matth. *Quemadmodum, inquientis, Adam etsi adhuc viveret post peccatũ, sententia tamen à Domino prolata jam mortuus erat: Sic contra Patriarchæ illi, etsi mortui essent, divina tamẽ promissione resurrectionis, vivebãt.* Deinde anima dicitur *redire ad Deum,*

qui

qui dedit eum Eccl. XII. 7. quam morituri Deo commendãt & velut in manus tradunt, quod certè viventis animæ & superstitis evidens argumentũ est. Præterea ingemus Pauli verba Phil. I. 23. desiderantis esse cum Christo. Neq; hic addenda glossa: Suo tempore, in novissimo die &c. Hæc enim assumenta inspectio textus profligat. Connectuntur dissolvi & esse cum Christo, tanquam talia, quorum unum continuo excipiet alterum. Unde est, quod præoptet Paulus esse cum Christo, quam permanere in carne. Beatitudo enim pie defunctorum protinus à dissolutione incipit: *Beati ἀπ' ἄρτι ab hoc tempore qui in Domino moriuntur* Apoc. XIV. 13. Atque hoc firmatur amplius exemplo Lazari statim post obitum in sinum Abrahæ deportati Luc XVI. 22. seqq. cum adhuc vigeret ministerium Mosis & Prophetarum, vers. ult. Adde locum Apoc. VII. 9. ubi habes discriptionem piorum post mortem *stantium ante thronum Dei & laudantium Deum die ac nocte*. Sed inprimis clarum & illustre est exemplum latronis Luc. XXIII. 45. cui Christus *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*. Magna insolentia & impudentia insaniæ proxima fuerit ita ordinare velle constructionem: Amen, dico tibi hodie, mecum eris in paradiso. Ad hæc merito cohorrescit pia mens. Nam nec distinctio omnibus codicibus usitata, cum qua convenit Syriaca versio ita habens: *Amen dico ego tibi, quia hodie mecum eris in paradiso*; nec contextus ullum probabilitatis colorem afferre huic glossæ potest. Manifesta quippe est petitionis illius (*Domine memento mei, quando veneris in regnum tuum*.) & responsionis Christi cohærentia, ita ut τὸ hodie non referatur ad illud dico, sed ad latronis quando. Sequitur ASSERTIO DECIMA TERTIA: *Ecclesia militans Catholica non potest penitus deficere*. Particulares Ecclesias deficere posse indubium est, quæritur de Catholica. Hanc posse deficere Sociniani statuunt: vident enim se non posse producere Ecclesiam ante Socinum quæ in principalibus doctrinæ sacræ punctis cum Socino consenserit. Nos assertioni nostræ fidem facimus ex dictis Matth. ult. ult. Esa. I. 9. Jerem. XXXI. 29. Joh. XIV. 16. 1. Tim. III. 15. Matth. XVI. 18. Exipiunt ad locum Matthæi non promitti semper futuros fideles sed si sint fideles, Christum semper ipsis adfuturum. Respondeo, promissionem illam præsupponere semper futuros fideles. Id quod etiam patet ex Matth. XXIV. 24. Apoc. XII. 17. ut & ex Matth. XIII. 24. seqq. qui locus ostendit semper futuros in Ecclesia bonos malosq;, nec ante diem judicii separandos. Tum si semper Christus est caput & Rex, utiq; semper habeat membra & subditos necesse est. Ad locum Joh. dicunt,

eum esse de solis Apostolis intelligendũ, sed frustrà, reclamante Joh. XVII. 20. ubi ad alios quoq; extenditur credentes. Ad locum Epistolæ ad Timoth. dicunt Ecclesiam non propterea dici columnam veritatis, quod non possit deficere, sed quia veritatem Evangelii, quantum in se est, suffulcit & confirmat. Respondeo, admissa interpretatione hac sequitur Ecclesiam non interire, alias enim desineret suffulcire veritatem, desineret esse columna veritatis. Et nota voce columnæ aliquid constans minimèq; desiturum denotari. Ad locum Matth. XVI. exipiunt per infernum non intelligi diabolum, sed conditionem mortuorum, hoc sensu: Qui sunt Christi, illi in statu mortuorum in æternum non possunt detineri. Respondeo distingui τὸ ἅδης à θανάτῳ 1. Cor. XV. 55. Apoc. I. 18. VI. 8. XX. 13. 14. Estq; infernus locus cruciatus Luc. XVI. 23. locus diabolis plenus qui inferno traditi sunt ad cruciatus in æternum sustinendos. Quid autem per portas intelligatur nemini obscurum est, qui cogitaverit in portis olim robur & propugnacula collocata. Sensus ergò est: Contra robur & vires omnes Diabolorum, qui obambulant ceu leo rugiens, quærentes quem devorent 1. Pet. V 8. Eph. II. 2. VI. 12. perstituram esse Ecclesiam Dei in his terris militantem. Addimus duas rationes. Si temporibus durissimis non interiit Ecclesia, sequitur eam nunquam interituram. At prius verum, ut patet ex temporibus Noæ, Eliæ &c. Ergo. Præterea, si administranda est sacra Cœna, & recolenda memoria crucifixi Christi, usque dum ille ad judicium veniat, sequitur Ecclesiam, interire non posse. At prius est 1. Cor. XI. 26. Major est clara: quia, si interiret Ecclesia, memoriam Christi crucifixi nemo recoleret.

§. 12. ASSERTIO DECIMAQUARTA: *Utile est & necessarium scire, quæ sint notæ veræ Ecclesiæ, ut inde agnosci queat quæ sit vera Ecclesia.* Sunt autem notæ hæ: professio veræ doctrinæ & administratio Sacramentorum. Distinguimus enim τὸ tenere salutarem doctrinam ab ejus publica professione. Illa est de Ecclesiæ essentia: hæc est ejus nota infallibilis & signum. Assertionis nostræ hæc sunt fundamenta. Si necessaria est administratio Sacramentorum, necessarium quoq; est agnoscere, quæ sit vera Ecclesia. Quia in Ecclesia administrantur Sacramenta. Ut ergo sciamus, quænam sit vera Ecclesia, in qua nos oporteat uti sacramentis, necessaria est tum cognitio tum applicatio harum notarum. At necessariam esse administrationem Sacramentorum ex dictis antecedentes

dente Exercitatione ut & ex confessione Socinianorum, quod attinet sacram Cœnam haud obscurum esse potest. Deinde, si quædam sunt certorum membrorum Ecclesiæ officia necessaria, sequitur, necessarium esse scire, quænam sit Ecclesia, quænam ejus membra. Connexio patet. At antecedens negare non poterunt Socinian, quippe qui peculiaria fatentur à Christo præcepta data esse tum auditoribꝰ erga doctores, tum Christianis invicem & domesticis fidei. Ad ASSERTIONEM pergimus DECIMAM QVINTAM: *Ad ministerium Ecclesiæ legitima requiritur vocatio.* Negantibus id Socinianis, opponimus loca Jerem. XXIII. 21. Rom. X. 15. Ebr. V. 4. Excipiunt ad locum Jeremiæ, tantum esse directum contra Pseudoprophetas, qui malè docebant & novas revelationes falsò jactabant. Sed respondeo generalem ibi proponi regulam non tantum nova dicturis, verum etiam vulgata docturis in Ecclesia. Fiunt enim ministri DEI, *Legati DEI* II. Cor. V. 20. debent ergo vocari & mitti. Ad Rom. X. dicunt ad tempora Pauli & Apostolorum, qui annunciarunt res hactenus inauditas, hæc pertinere. Sed præterquam quod falsum est, annunciationem Evangelii fuisse rem Judæis planè inauditam, siquidem *nihil* docebant Apostoli *extra Mosen & Prophetas* Act. XXVI. 22. membra gradationis Apostolicæ sunt omnium temporum, unde etiam Paulus Timotheo & Tito mandatum dat *Presbyteros constituendi* I. Tim. I. 3. Tit. I. 3. Ad locum Ebr. V. dicunt, id valuisse de honore Sacerdotali Vet. Test. in Novo autem Testamento plus esse laboris quam honoris. Respondeo, & in V. T. rem laboris & honoris fuisse, inspectioni in res & personas sacras vacare. Eadem est ratio Novi Testamenti I. Tim. III. 1. V. 17. Accedit praxis utriusq; Testamenti, quæ tantæ est evidentiæ, ut haud gravatè largiantur adversarii in Ecclesia Apostolica vocationem & missionem ministrorum sacrorum fuisse usitatam, & in nostris Ecclesiis idem ob εὐταξίαν servari posse. Solam impugnant vocationis necessitatem: sed hanc, quæ dicta sunt, sufficienter confirmant. Sequitur ASSERTIO DECIMA SEXTA: *Rectè & utiliter adhibetur ritus ordinationis in Ecclesiis nostris.* Rectè: quia præivere Apostoli & primitiva Ecclesia. Utiliter: quia hoc ritu ostenditur, personam divino ministerio consecrari, divinæ tutelæ & benedictioni commendari atq; resignari, esse deniq; talem, cui munus sanctissimum Ecclesiæ bono demandari possit. Dices: non esse hunc ritum

sum-

simpliciter necessarium. Respondeo, etiamsi id concedatur, esse hunc ritum quodammodo totius Ecclesiæ respectu adiaphorum, non tamen sequitur, eum non rectè adhiberi. Imo id sequitur potius, quia est ἀδιάφορον certo respectu, ideò rectè & licitè à nobis eum adhiberi. ASSERTIO DECIMA SEPTIMA: *Festi dies, Pericopæ Evangelicæ, campanæ &c. rectè in Ecclesiis nostris retinentur.* Ratio est: quia inserviunt ædificationi. Hæc causa est, cur veteres festos dies religiosè colendos instituerint, ut festum Paschatis, de quo in primitiva Ecclesia acerrimè fuit disputatum, Pentecostes, Adscensionis Domini, Nativitatis, baptismi, passionis, sicut ex Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Basilio, Augustino aliisq; evidens est. Inter veteris Ecclesiæ festa numerat Hieronymus ad Gal. IV. *pro varietate regionum diversa in honorem Martyrum constituta tempora.* Dies enim passionis ipsorum, cum per mortem in Christo ad veram æternam scilicet vitam renascerentur, γενέθλια natalitia ipsorum & vocarunt & celebrârunt. Sicut apud Eusebium lib. IV. cap. 14. Ecclesia Smyrnensis scribit, *se diem martyrii Polycarpi tanquam natalitium cum gaudio & exultatione coacto cœtu Ecclesiastico celebraturam, ad memoriam præcedentium & ad excitationem & præparationem sequentium.* In hunc usum Cyprianus curavit annotari dies exitus Martyrum. Vide de his celeberrimum Chemnit. Exam. Conc. Trid. part. IV. pag. 338. seqq. Ubi citat Basilii dictum de vera ratione celebrationis illorum festorum: *Non decet Christianos in Martyrum memoriis ob aliam causam comparere, quam ut precentur & ex commonefactione constantiæ Martyrum ad hujusmodi zeli imitationem incitentur.* Facessat ergo opinio meriti! Quod attinet pericopas Evangelicas, de quorum ordinatore dubitatur, aliis Hieronymum earum ordinatorem asserentibus, aliis Bedam, aliis *Alcuinum*, de quo scribit Possevinus in Appar. Sacr. *quod Carolo Magno jubente in ordinem redegerit Patrum Homilias in Evangelia, quæ per annum publicè in templis leguntur, videlicet Augustini 48. Hieronymi 6. Ambrosii 10. Hilarii 1. Fulgentii 2. Origenis 4. Maximini 17. Chrysostomi 12. Severiani 1. Leonis 21. Gregorii 36. Bedæ 48. & Isidori 1. &c.* Hinc vetustas pericoparum harum est manifesta, quarum utilitas ex auditorum captu & collatione brevitatis vitæ humanæ & prolixitatis Codicis Biblici relucet. Campanarum deniq; usus manifestus est, ut inserviant Ecclesiæ ad habendum conventum & conjungendas preces &c.

§. 13. Re-

§. 13. Reliqui sunt de quatuor novissimis assertiones. ASSERTIO DECIMA OCTAVA: *Animæ à separatione supersunt & vivunt, ita quidem ut fidelium animæ cœlestem gloriam, impiorum cruciatus sentiant infernales.* De hac re suprà dictum. Hic expendi meretur locus Matth. X. 28. ubi dicitur *animas occidi non posse*: item parabola de divite & Lazaro, unde colligitur geminus locus animarum post mortem, idq; ante diem extremi judicii, alter felicis lætitiæ, alter doloris & cruciatus. Dices: sic non fore locum judicio extremo. Respondeo, in hoc jungentur animæ corporibus, ut sic totus homo vel coronetur vel crucietur. Tandem repetimus locum suprà adductum, Apoc. XIV. 13. uti dicuntur *mortui in Domino ἀπ' ἄρτι ab eo tempore, quo moriuntur, beati.* Beatitudo autem in actione consistit. Hinc est quod eos Johannes dicat absq; ulla defatigatione & labore *Deum noctu & interdiu celebrare* Apoc. IV. 8. seqq. Neq; his obstant alia loca, quæ testantur mortuos non meminisse Dei. Hæc enim de prædicatione beneficiorum, quæ in Ecclesia fit militante, sunt intelligenda Psal CXV. 17. 18. ASSERTIO DECIMA NONA: *Resurrecturi homines sunt eisdem corporibus.* Rationes has damus. Sicut Christus resurrexit, ita & nos resurgemus. Dices: Christum non surrexisse & adscendisse in cœlum eodem corpore, in quo passus est. Respondeo, contradicere ultima capita Evangelistarum. Dicitur ibi Christus ore corporis sui manducasse & bibisse, non quidem ex necessitate & indigentia verum ex libera oeconomia, secundam quam etiam vestigia clavorum in manibus & pedibus ac lanceæ in latere retinuit &c. omnia quidem in argumentum resurrectionis ejusdem corporis. Neq; dici potest Christum post sui glorificationem in cœlo accepisse corpus aliud novum sine carne & sanguine. Dicitur enim Act. 1. eodem corpore discipulis aspicientibus elevatus esse. Quin & post adscensionem dicitur esse ex Patribus secundum carnem, & ex semine David Rom. I. IX. 5. Quod autem glorificatio corporis nostri non destruat rationem veri corporis, abundè patet ex transfiguratione Christi in monte Matth. XVII. Confer. Phil. III. 21. ubi nostra corpora futura conformia corpori Christi glorificato habes. Adde 1. Cor. XV. 53. ubi urgemus voces: τοῦτο τὸ φθαρτὸν, τοῦτο τὸ θνητὸν. Dices: sic futurum, ut pii, qui claudi sunt, claudi resurgant. Respondeo: Redibit eadem numero substantia universa, accidentia mutabuntur.

Habebimus corpora πνεύματικὰ: non tamen erimus πνεύματα. Quicquid corruptionis & hanc secutæ infirmitatis hausimus ab Adam, id totum auferetur, & hoc respectu caro & sanguis non hæreditabunt regnum cœlorum. Quorum verborum quis sit sensus, patet ex explicatione Pauli quæ additur: Neq; corruptio hæreditabit incorruptionem. Deniq; expendi quoq; meretur locus Job. XIX. 17. *In carne mea videbo Dominum.* ASSERTIO VIGESIMA: *Etiam impii resurrecturi sunt ad cruciatus æternos.* Id probamus 1. ex Joh. V. 29. Dices: hic non describi impiorum resurrectionem eorumq; supplicium, tantum dici eos perituros, unde sequitur eos non amplius superfuturos. Respondeo, hæc vim facere textui, qui sic sonat: Veniet hora, qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis, & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui autem mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Hic nota *impios audituros vocem Filii & prodituros in resurrectionem condemnationis.* Quod autem quidam dicunt de vocatione ad resurrectionem spiritualem gentium esse hæc intelligenda, id vero nimis futile est. Loquitur quippe Filius DEI de iis, qui *sunt in monumentis, quorum alii qui bona fecerunt prodibunt ad resurrectionem vitæ, alii, qui mala egerunt, in resurrectionem condemnationis.* Quæ in vocationem gentium ab impietate ad pietatem, à tenebris ad lucem minimè quadrant. Neq; obstat, quod dicitur: *Venit hora & nunc est.* Ipse enim Johannes, quid hæc sibi velint, satis explicat I. Epist. II. 18. cum tempus universum, quod interjacet inter primum & ultimum Christi adventum, horam novissimam vocat. Adde loca Matt. XXV. ℣5. ubi dicuntur *impii ituri in cruciatus æternos:* II. Cor. V. 10 *Omnes sistemur coram tribunali DEI, &c.* Dan. XII. 2. *Et multi, qui dormiunt evigila-*

gilabunt, alii ad vitam æternam, alii ad opprobrium æternum? Matt. XII. 36. *De omni verbo otioso reddent homines rationem:* Matt. VII. 29. II. Pet. II. 4. Apoc. XXII. 14. 15. Judæ 14. 15. Matt. X. 28. Marc. IX. 43. Excipiunt generaliter ad hæc loca, tantum denotari peditionem animæ in gehenna, non cruciatum. Respondeo, cruciatum iri igne ardenti inextinguibili & sulphure impios Apoc. XXI. 7 8. Marc IX. 43. &c. quod non potest de annihilatione intelligi, Ad locum Matt. XXV. dicunt, hic nihil esse de resurrectione mortuorum, sermonem esse de iis, quos vivos deprehenderit novissimus dies, Sed repugnat generalitas textus: omnes congregandos esse coram Christo. Ad locum II. Cor. V. dicunt non posse accipi ita ut sonant, aliàs secuturum, animam non passuram, sed solum corpus. Respondeo, non sequi. Non enim dicitur solo corpore recepturos, sed recepturos quæ διὰ σώματος hoc est, quæ per corpus in hac vita commiserunt. Neq; obstat, nonnulla peccata esse, quæ sola anima peccantur. Pleraq; enim talia sunt, ut corporis etiam ministerio peragantur. Ad locum Dan. XII 2. dicunt, esse sermonem de liberatione ex captivitate Babilonica, quin etsi de resurrectione capiatur, non dici omnes resurrecturos, sed multos. Respondeo, non posse captivitatem Babilonicam hic intelligi, eò quod hac soluta non contigerit id, quod hic dicitur de aliorum vita æterna & opprobrio æterno aliorum, deq; doctorum splendore secuturo. Cæterum multi hic sunt omnes, sicut solent hæ voces permutari. Vid. Rom. V. 18. 19. Omnes enim, qui in terræ pulvere sunt, resurgent. Ad locum Matth. XII. dicent, sic etiam judicatum iri pios.

Respon-

Reſpondeo, concedendo, pios judicatum iri, non quidem judicio condemnationis, ſed partim judicio diſcuſſionis, quo omnia ipſorum facta, ipſaq; adeo peccata ipſis in memoriam revocabuntur, quo tanto magis deprædicent DEI erga ſe miſericordiam, partim judicio abſolutionis, ſicut patet ex proceſſu judiciario deſcripto Matth. XXV.

SOLI DEO GLORIA.





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0216
DFG

Respondeo, concedendo, pios judicatum iri, non quidem judicio condemnationis, sed partim judicio discussionis, quo omnia ipsorum facta, ipsaq; adeo peccata ipsis in memoriam revocabuntur, quo tanto magis deprædicent DEI erga se misericordiam, partim judicio absolutionis, sicut patet ex processu judiciario descripto Matth.

XXV.

SOLI DEO GLORIA.

ZA
3141
(1977,3)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0217
DFG





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0218
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741206374/phys_0219
DFG

gilabunt, alii ad vitam æternam, alii ad opp ... *num:*
Matt. XII. 36. *De omni verbo otioso redd* ... *atio-*
nem: Matt. VII. 29. II. Pet. II. 4. Apoc ... 15.
Judæ 14. 15. Matt. X. 28. Marc. IX. 43. ... ge-
neraliter ad hæc loca, tantum denotari p ... ani-
mæ in gehenna, non cruciatum. Resp ... cia-
tum iri igne ardenti inextinguibili & s ... pios
Apoc. XXI. 7. 8. Marc IX. 43. &c. quod n ... an-
nihilatione intelligi, Ad locum Matt. ... unt,
hic nihil esse de resurrectione mortuoru ... em
esse de iis, quos vivos deprehenderit n ... lies.
Sed repugnat generalitas textus: omnes ... dos
esse coram Christo. Ad locum II. Cor. ... on
posse accipi ita ut sonant, aliàs secutu ... am
non passuram, sed solum corpus. Resp ... n se-
qui. Non enim dicitur solo corpore ... sed
recepturos quæ διὰ σώματος hoc est, ... pus
in hac vita commiserunt. Neq; obstat ... pec-
cata esse, quæ sola anima peccantur. ... nim
talia sunt, ut corporis etiam minister ... tur.
Ad locum Dan. XII. 2. dicunt, esse serr ... be-
ratione ex captivitate Babilonica, qui ... sur-
rectione capiatur, non dici omnes resu ... sed
multos. Respondeo, non posse captiv ... ilo-
nicam hic intelligi, eò quod hac soluta ... erit
id, quod hic dicitur de aliorum vita æ ... pro-
brio æterno aliorum, deq; doctorum ... ecu-
turo. Cæterum multi hic sunt omnes ... nt
hæ voces permutari. Vid. Rom. V. ... nes
enim, qui in terræ pulvere sunt, resu ... lo-
cum Matth. XII. dicent, sic etiam judi ... ios.
... on-